SPECIMEN MEDICUM INAUGURALE,

EXHIBENS

EXPOSITIONEM DOCTRINAE HIPPOCRATICAE DE CRISIBUS.

SPECIMEN MEDICUM INAUGURALE,

EXHIBENS

EXPOSITIONEM DOCTRINAE HIPPOCRATICAE DE CRISIBUS,

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI,

MATTHIAE SIEGENBEEK,

LITERARUM BELGICARUM PROFESSORIS ORDINARII,

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE CONSULTO,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN UNIVERSITATE REGIA HOLLANDIAE,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

ANTHONIUS KIST,

EX PAGO LEEUWEN — BATAVUS.

Ad diem 2. Octobris MDCCCIX. *H. L. Q. S.*

LUGDUNI BATAVORUM,

APUD DANIELEM DU SAAR,

MDCCCIX.

VIRO

PLURIMUM VENERANDO, DOCTISSIMO,

JUSTO, GERARDO, KIST,

APUD BOEMELIENSES

VERBI DIVINI MINISTRO,

PATRI OPTIMO, CARISSIMO;

VIRO

AMPLISSIMO

GULIELMO KIST,

COLONIARUM INDIAE ORIENTALIS

QUONDAM MODERATORI;

VIRO

PLURIMUM VENERANDO, DOCTISSIMO

EWALDO KIST,

APUD DORDRACENSES

VERBI DIVINI MINISTRO;

PATRUIS AESTIMATISSIMIS:

VI-

VIRIS

CLARISSIMIS, DOCTISSIMIS,

HERMANNO ROYAARDS,

S. S. THEOL. DOCT. EJUSDEMQUE IN ACADEMIA
ULTRAJECTINA PROFESSORI ORDINARIO ET
CONCIONATORI ACADEMICO,
AVUNCULO AESTIMATISSIMO:

NICOLAO, GEORGIO, OOSTERDYK,

MED. DOCT., MEDICINAE THEORETICAE ET PRACTICAE ET COLLEGII MEDICO-PRACTICI IN HAC ACADEMIA PROFESSORI ORDINARIO;

NICOLAO PARADYS,

MED. DOCT., MEDICINAE, COLLEGII MEDICO-PRACTICI ET HISTORIAE MEDICINAE IN HAC ACADEMIA PROFESSORI ORDINARIO;

MEI-

MEINARDO SIMONI DU PUI,

MED. DOCT., MEDICINAE, COLLEGII MEDICO-PRACTICI, OBSTETRICIAE ET CHIRURGIAE IN EADEM ACADEMIA PROFESSORI ORDINARIO,

PROMOTORI HONORATISSIMO;

STUDIORUM DUCIBUS FIDELISSIMIS:

Hasce ſtudiorum primitias, in publicum pietatis & reverentiae monumentum,

D. D. D.

AUCTOR.

Ἐυλαβηθῶμεν ἀμφοῖν ἅμα μεμνῆσθαι, μεθόδου τε λογικῆς, καὶ πείρας ἀλόγου. — Καὶ οὕτως ἂν εὐξαίμην καὶ τοὺς λογικοὺς ἅπαντας Ἰατροὺς ἔχεσθαι τοῦ προκειμένου, καὶ μὴ συγχεῖν, μηδὲ ταράττειν, μὴ δὲ συνάγειν εἰς ταυτὸν ἀναλογισμόν τε καὶ πεῖραν, ἀλλ' ἑκάτερον ἰδίᾳ μεταχειρίζεσθαι, καὶ σκοπεῖσθαι, τίνα δύναμιν ἔχει, καὶ πόσον εἰς τὸ τέλος τῆς τέχνης συνεργεῖ.

Cavebimus, ne ſimul de ambabus, tum methodo, quae ratione utitur, tum experientiâ, quae ratione non utitur, agamus. — Atque utinam rationales omnes Medici propoſitum hoc conſtanter ſervent, neque experientiam & rationem miſceant, atque in unum confundant, ſed, quam utraque vim habeat, quantumque ad propoſitum artis finem conducat, ſeorſim tractent atque perpendant.

GALENUS *de Methodo Medendi. Lib.* I. *cap.* 4.

SPECIMEN MEDICUM INAUGURALE,

EXHIBENS

EXPOSITIONEM DOCTRINAE HIPPOCRATICAE DE CRISIBUS.

INTRODUCTIO.

Dissertationem scripturus circa variam materiem dubius haesi, quum re vera in arte Medicâ tyroni difficillimum sit eligere dissertationis argumentum, quod vires adaequat; quod non adeo tritum est, ut ne novam formam quidem recipere queat; quod aliquam habet dignitatem & utilitatis commendationem. His accedit quoque nostris temporibus Theoriae varia forma & confusio, unde illi, qui Theoreticae Medicinae partem tractare sustinet, amplissimus quidem aperitur campus, sed cujus elaboratio plerisque in locis, vix ullam Praxi utilitatem adfert. Nec hoc tantum, verum proposita Theoria, nisi oblivioni tradatur, ab aliis, aliam Theoriam sibi fingentibus, acriter refutatur, imo non raro inclementer inter rationis phantasmata detruditur.

Ut hos evitarem scopulos theoreticas disputationes evitare, &, quae observatione constant, proponere cogitavi, maxime autem placuit ea colligere, quae Veterum casta observatio, de coctione & crisi morbi docet.

Negare certe non possum, hoc argumentum vires longe superare; hanc vero difficultatem non hujus tantum, sed omnis cujuslibet dignioris argumenti esse,

probe intellexi, Cariſſimique Praeceptoris Clariſſimi **NICOLAI PARADYSII** (1), cujus egregiis inſtitutionibus & conſuetudine, ſummo cum fructu & delectatione, per triennium frui licuit, conſilio in re arduâ confidens animum recepi, ſperans, condonaturum eſſe Lectorem benevolum, ſi virium tenuitatis conſcientiam vicerit juvenilis ardor argumentique placiti illecebra.

Audiveram ſcilicet in ſcholis Practicis & Pathologicis Hippocraticam Criſeos Doctrinam; eâ ſimplicitate propoſitam, tot veritatis teſtimoniis fulcitam, ut illi, quem partium non teneret ſtudium, nullus relinqueretur dubii locus. Ex iisdem ſcholis quanti ad praxin momenti haec ſit doctrina ſimul intellexi, & quam vanam operam illi praeſtant, qui hanc Doctrinam, unice fidâ obſervatione fundatam, ſe evertiſſe ſibi perſuadent, dummodo Medicorum philoſophantium de hac doctrinâ Theoriam everterint, non intelligentes, ea, quae docuerit fidelis obſervatio, theoriâ explicari, minime theoriâ labefactari poſſe: crevit hinc hujus doctrinae amor; quae enim vera & praeſtantia nobis perſuadentur, eo nobis cariora fiunt, quo ab aliis habentur magis contemtibilia.

Praeterea frequenter Clariſſimum **PARADYSIUM**, **HIPPOCRATIS** & **GALENI** loca explicantem, audiens, Veterum Medicorum ingenii bonitatem, accuratiſſimam morborum obſervationem, ſcriptionis concinnitatem, ad praxin denique ſcriptorum, Hippocraticorum praeſertim, fructum miratus ſum: quibus cum accederet, viros, quos ars noſtra habet praeſtantiſſimos, uno quaſi ore teſtari, ſe optimam eruditionis partem veterum Medicorum lectioni debere; tanta me cepit illos legendi cupido, ut huic pro magnâ parte tribui poſſit, me, quod propoſui, elegiſſe diſſertationis argumentum, quum illud praeſertim, licet paucorum, tamen optimorum, & de quorum genuitate omnes, qui libris Hippocraticis facem criticam admoverunt, conſentiunt, nec non **GALENI**, de Criſis Doctrinâ, ſcriptorum lectionem requirat, quae, ut ſperaveram, nec fefellit ſpes, conſilio & auxilio optimi Praeceptoris mihi non tantum facilior, ſed etiam fructuoſior redderetur.

Candide expoſui ea, quibus in hoc incidi diſſertationis argumentum: magnam ip-

(1) Erga Clariſſimum hunc Virum, praeſtantiâ laudes, benevolentiâ gratias ſuperantem omnino meas, gratiſſimum animum, nec tempore, nec loco delendum, publice profiteor.

ipfe ex accuratiori illius pertractatione cepi utilitatem, cujus fi quis in praxin redundet fructus, minime laboris poenitebit: ea, quae fcripfi, aliis quoque aliquem allatura fructum, licet gratiffimum foret, fperare non audeo; quos enim aliorum, famâ & eruditione excellentium, virorum, inter quos GAUBIUM (2) nominaffe fufficit, fcripta non movent, ut Theoriam ab Obfervatione diftinguant veritatemque doctrinae propofitae agnofcant, non tangent hae futuri Medici primitiae, juvenile ingenium, juvenilemque eruditionem teftantes.

Ceterum, fi quid boni contineat haecce fcriptio, me illud egregiis Clariffimorum, quos in hac Academiâ habuiffe gaudeo, Praeceptorum inftitutionibus (3) debere, lubenter fateor: ut, quae contineat malé propofita, aut pro rei dignitate leviter pertractata, corrigant, ut, quae omiffa funt, fuppleant, & benevolo animo hanc qualemcunque tractationem legant Rei Medicae periti, etiam atque etiam rogo, & hoc quidem eo magis, cum neceffitate coactus fui, haec multo breviori, quam ftatuiffem, tempore confcribere.

Ut dicendorum fiat Compendium et Ordo

I°. breviter differere propofui de Fontibus, e quibus praefertim Doctrina de Crifi petenda fit, fimulque oftendere, fontes illos fidos, puros, nullâ admixtâ Theoriâ contaminatos effe.

II°. Ipfam Crifis Doctrinam Hippocraticam, ab omni theoriâ liberam, exponere.

Conftitueram his addere praecipuas Medicorum Theorias, quibus hanc doctrinam, alii evertere, alii explicare, conati funt & quaenam mihi verofimillima videatur Theoria, exponere: denique in quaeftionen inquirere: An ad noftra tempora, noftramque regionem, quadret Veterum Crifium Doctrina. Ob temporis autem pernuriam horum capitum prius mittam, alterius fumma puncta in Thefibus, huic differtationi adnexis, notare propofui.

(2) Vid. ejus *Inftit. Pathol.* §. 889. feqq. praefertim §. 891. *ed.* 3. (3) Non Poffum, quin hoc loco Clariffimis hifce Viris, qui aut ipfam artem Medicam, aut quae illam tangunt, me docere & comitate difcipulum excipere non dedignati funt, inter quos Clariffimum OOSTERDYKIUM & DU PUIUM non ultimo loco pofitos habere vellem, tum & reliquis, quorum optimis inftitutionibus in alio ftudiorum genere frui licuit, gratias agam, quas poffum maximas.

CAPUT PRIMUM.

IN QUO DE FONTIBUS, E QUIBUS DOCTRINA DE CRISI PETENDA EST, DISSERITUR, SIMULQUE OSTENDITUR, FONTES ILLOS FIDOS, PUROS, NULLA ADMIXTA THEORIA CONTAMINATOS ESSE.

Asclepiadae, AESCULAPII progenies (1), tres praecipue condiderunt Medicinae scholas (2): primam in insula maris Aegaei RHODO (3), quae schola procul dubio jam diu ante HIPPOCRATIS tempora interiit, nullam saltem hujus facit mentionem (4): alteram in insulâ CO in mari Aegaeo prope oram Asiaticam, versus partem meridionalem, ad gradum scilicet trigesimum septimum in latitudine septentrionali, sitâ (5): tertiam in insulâ DORO (6), in mare quoque Aegaeo, insulae CO viciná, ab urbe hujus insulae CNIDO, Cnidia dictam.

Eodem tempore viguerunt schola Coä & Cnidia, viguit quoque schola Italica, cujus auctor fuerat PYTHAGORAS: haec autem minimam omnium nacta est famam, nec multa de hac schola nobis reliquit Historia (7).

Cnidia schola Coäe aemula, hac tamen multo inferior (8), ex scriptis cognos-

(1) KURT SPRENGEL, *Pragmatische Geschichte der Arzneikunde*, *t.* I. *p.* 215. seqq. *ed.* 2.

(2) LE CLERC, *Histoire de la Medicine*, *pt.* I. *l.* 2. *c.* 2. *p.* 78. BARTHELEMY, *Reizen van den jongen* ANACHARSIS *door Griekenland*, *t.* I. *p.* 73. (3) BARTHELEMY, *l. l. p.* 38. (4) LE CLERC, *l. l.* (5) BARTHELEMY, *l. l. p.* 72. (6) *l. l. p.* 25. (7) LE CLERC, *p.* 78. K. SPRENGEL, *l. l. p.* 287. seqq. *p.* 347. seqq. (8) K. SPRENGEL, *l. l. p.* 355. *Apologie des* HIPPOCRATES, *t.* I. *p.* 31.

gnoscitur HIPPOCRATIS, qui eam nonnullis locis & ex merito quidem reprehendit. Nullam enim habebant Prognofeos curam, accuratâ & minutâ fymptomatum enarratione contenti: paucis admodum utebantur Medicamentis: in eorum applicatione faepius errabant, fimilitudinem morborum fpecie externâ tantummodo aeftimantes (9).

Maxime autem excelluit fchola Coä, tam fideli morborum obfervatione, quam utilitate, quam arti Medicae attulit. Patet enim ex *Coäcis Praenotionibus*, e quibus univerfae fcholae Coäe agendi ratio colligi poteft, quum contineant fummam obfervationum, collectarum ex ingenti aegrorum numero, qui curae Medicorum Coäcorum tradebantur, qûorumque morbi hiftoriae in AESCULAPII templo fervabantur (10), fcholam Coäm non, ut Cnidia, tantum attendiffe fymptomatum concurfum, neglectâ prognofi, fed contra prognofin maxime coluiffe.

Ad morborum igitur decurfum femper attendentes, praegreffa cum futuris comparantes, mirati profecto funt, in multis aegris idem fymptoma, vel eundem fymptomatum concurfum, aliave, quae ad morbum pertinent, conftanter mortem fequi; in aliis reftitutam fanitatem quaedam figna conftanter praegredi: non omnis denique generis morbos eundem habere exitus modum: in nonnullis fubito reftitutam fanitatem vel fecutam mortem; in aliis poft multam recidivam; in aliis paulatim, marcefcentibus quafi morborum fymptomatibus, aut aegrotantis viribus: haec omnia aliaque plura cum vidiffent non fine fignis praegreffis accidere: haec cum per centenos forte aegros conftantia obfervaffent, tandem quaedam generalia inde deduxere prognoftica, qualia nobis in *Coäcis Praenotionibus* fuperfunt. Jure igitur merito dici poffet, fcholam Coäm verae Artis Medicae prima ftruxiffe fundamenta.

Sed

(9) HIPPOCRATES, *de Rat. vict. in Ac.* initio, apud FOËSIUM, *p.* 383. conf. SPRENGEL, *Apol. des H. t.* II *p.* 260. feqq. (10) K. SPRENGEL, *Apol. t.* I. *p.* 33. LE CLERC, *l. l. p.* 80 FOËSIUS, *in praefatione ad Coäcas Praenot. p.* 116. ab hac fententia non videtur alienus.

Sed parum fructus egregiae hujus ſcholae in noſtra tempora redundaſſet, niſi magnus ille HIPPOCRATES, annos 460 ante CHRISTUM in inſulâ CO natus (11), ſcholae Coäe alumnus, ingenio, ſagacitate, virtute, eruditione, experientiâ, animi fortitudine, modeſtiâ, flagrantique veritatis amore, excellens, quae inſtituerat ſchola Coä abſolviſſet, niſi erronea, minusve experientiâ confirmata, luſtraſſet, niſi diſperſa collegiſſet & propriâ experientiâ, caſtoque ratiocinio ſuppleviſſet. — Sed relinquatur digniori tanti Viri extollere laudes & ſufficiat AESCULAPII templum vix intranti DIVI SENIS veneratio.

Multa nobis ſuperſunt ſcripta, quae HIPPOCRATIS gerunt nomen; pauca tantum de quibus inter Criticos omnes, nomine claros, conſtat, illa genuina ipſius HIPPOCRATIS eſſe monumenta; plura de quorum genuitate Critici diſſentiunt; plura quoque, quae ab illis ſpuria habentur, & quorum nonnulla ante HIPPOCRATEM, nonnulla poſt eum ſcripta eſſe exiſtimantur, alia quoque ex Cnidiâ ſcholâ profecta dicuntur (12).

Unanimi Criticorum conſenſu (13) genuina habentur haec HIPPOCRATIS ſcripta:

1°. *De officina Medici* libellus (14);

2°. liber *de Fracturis* (15);

3°. liber *de Capitis vulneribus* (16);

4°. liber *de Aëre, Aquis et Locis* (17);

5°. libri *de Ratione Victus in Morbis Acutis* ſectio I^a, II^a & III^a, quarum trium ſectionum finis habetur apud FOËSIUM pag. 396. lin. 7. (18);

6°. *Praenotionum* liber (19);

7°. *Epidemicorum* liber I^us & III^us (20);

8°.

(11) K. SPRENGEL, *l. l. p.* 34. ſeqq. LE CLERC, *l. l. l.* III, *c.* I. *p.* 113. BARTHELEMY, *l. l. p.* 73. (12) J. F. PIERER, introductionis ad ſuam operum HIPPOCRATIS editionem, *p.* LXI. ſeqq. (13) PIERER, *l. l.* (14) SPRENGEL, *l. l. p.* 95. (15) Ibid. (16) Ibidem. (17) SPRENGEL, *l. l. p.* 78. (18) SPRENGEL, *l. l. p.* 83. *t.* II. *p.* 414. (19) *l. l. p.* 78. (20) Idem, *p.* 79. ſeqq.

8°. *Aphorismorum* sectiones septem priores: sectio octavo & pauci aphorismi e prioribus spurii habentur (21).

Quorum tria posteriora praecipui & primi sunt fontes, e quibus Doctrina de Crisi haurienda est: licet tamen & in reliquis egregia multa inveniantur, quae amplissimum habent usum, ad Doctrinam Criseos Hippocraticam illustrandam, limitandam, ejusque late patentem utilitatem in Praxi demonstrandam; praecipue hic librum *de Aëre, Aquis & Locis* et *de Victus Ratione in Morbis Acutis* innuo, tres reliqui enim ad Chirurgiam pertinent.

Reliquos libros, qui inter Hippocraticos circumferuntur, praeter illos, de quorum genuitate inter omnes constat, inter fontes Doctrinae Crisis non recensui. Quo quidem jure exponam.

Longe, ut unusquisque facile intelligit, vires superat meas, inter Criticos hac de re quaestiones dirimere, vel probabili argumento partes librorum, quos hic illeve, inter Criticos clarus, spurios existimat, tueri: hinc prudentis esse duxi, ne hac in parte cavillandi relinquatur occasio, tantum fontibus uti maxime genuinis; licet tamen ab alterâ parte non negaverim, superesse plures alios genuinos libros, qui ab aliis, jure merito eorum genuitatem, refutatis aliorum argumentis, agnoscentes, inter fontes recenseri possent. Alia his accedunt.

Genuinis hisce libris universa Crisis Doctrina continetur, sic ut aliis non indigeamus libris ad illam eruendam.

Quum certi simus, hos libros HIPPOCRATEM auctorem habere, simul constat, certiores nos quoque de illius sententiâ esse, si illam ex his tantum petamus, quum contra, si aliis quoque scopo proposito uteremur libris, facile aliena sententia Hippocraticae admisceri, doctrinaeque integritas corrumpi, posset.

Quae denique de fide Hippocraticâ constant de genuinis HIPPOCRATIS libris valent, minime vero de iis, quorum auctor vel ignotus est, vel de quo addubitant Docti.

Accedit tandem & haec utilitas, quod sententia HIPPOCRATIS maxime genuina normam praebeat de reliquis libris, genuini an spurii sint, rite judicandi.

Re-

(21) Idem, *p.* 78.

Reſtat nunc demonſtrare, fontes hos fidos, puros, nullâ admixtâ Theoriâ contaminatos eſſe. Quod ut ordine fiat, primo de HIPPOCRATE teſte videamus, dein pauca de ejus ſcriptis dicamus, ut ex utriusque contemplatione pateat, fontes tales eſſe, quales poſuimus.

Tria requiruntur in Teste, ut peritus ſit, candidus, & ut ejus mens a nobis bene intelligatur.

Nullum dubium nobis de peritiâ HIPPOCRATIS relinquitur, graviſſimi enim ſcriptores, illum in Philoſophiâ vix parem, in Medicinâ neminem habuiſſe ſuperiorem, teſtantur (22): &, licet nulla ſupereſſent auctorum ſuper hac re teſtimonia, ipſa Viri ſcripta, hujus ſummam monſtrarent peritiam. Praeterea illi non deërant aliorum obſervationes: per ingentem annorum numerum Aſclepiadae illas collegerant, quibus a primâ juventute uti licuit magno HIPPOCRATI. Has, cum propriâ experientiâ diverſis in regionibus (23) confirmatas vidiſſet, eoque, quod Philoſophiam, quatenus in ſpeculatione verſatur, ab Arte Medicâ rite diſtingueret (24), eam vero ejus partem, quae juſto ratiocinio experientiam locupletare docet, Medicinae adplicaret (25), quam maxime extendiſſet, ad eum certitudinis gradum evexit, quem attingere poteſt veritas, quae Inductione & Analogiâ nititur.

Quem DIVUM SENEM vocavit Antiquitas (26), qui apud gentilitios in ſummo habetur honore (27), cujus ſcripta praeceptaque flagrantem teſtantur virtutis amorem & alios quoque ad animi illum candorem acquirendum vel confirmandum vehementer impellunt (28), Candidum fuiſſe Virum, veritatis amantis

(22) LE CLERC, *l. l. c.* 2. *p.* 115. ſeqq. *c.* 32. *p.* 251. (23) Vid. LE CLERC citantem SORANUM. *l. l. c.* 31 *p.* 248. ſeqq. *c.* 32. *p.* 250. (24) CELSUS in *l.* I. *p.* 2. in fine. Ex Rec L. TARGAE. (25) LE CLERC, *l. l. c.* I. 113. SPRENGEL, *pragm. geſch. t.* I. *p.* 382. ſeqq.

(26) LE CLERC, *l. l. c.* 32. *p.* 251. (27) LE CLERC, *l. l. c.* 31. *p.* 248. ſeqq.

(28) BARTHELEMY, *l. l. p.* 75—84. K. SPRENGEL, *Apol. des H. t.* I. *p.* 60. ſeqq. „Aerzte! inquit *p.* 61., ſtudirt den Charakter des grosſen Vaters unſerer edlen Kunst, und lernt von dieſem alten Griech-

tissimum, quis neget? Quâ tandem re moveri potuisset HIPPOCRATES, ut doctrinam, quae nullam Theoriam fulciendam nullosque tunc temporis adversarios habuit, falsam fictamque filiis & nepotibus reliquisset.

Auxilio Grammaticorum, Criticorum, Commentatorum, Interpretum, tam veterum, quam recentiorum, tantâ affulsit COI scriptis lux, ut, licet multa contineant verba obsoleta, licet propter styli brevitatem multis locis difficilem habeant intellectum, nodum in scirpo quaereret re vera is, qui, illum rite intelligi non posse, HIPPOCRATI testi objicere vellet. (29).

Ex scriptis, unanimi consensu genuinis, ordine, concinnitate, elegantiâ & utilitate non ultimum locum meretur *Prognosticon*, quâ de re nullum profecto illi relinquetur dubium, qui graphicam in memoriam revocet faciei, vel jacentis habitus, descriptionem, colore adeo vivido depictam, simulque tantis cautionibus circumscriptam, ut aegrum ipsis oculis percipere nobis videamur, nullusque errori relinquatur locus. Nec dispar est ratio eorum, quae de singulis, e quibus Prognosis construitur, de respiratione, sudoribus, praecordiis, de calore corporis ejusque pondere, de excrementis ceterisque, omnia enim enumerare longum esset, monuit; quae omnia eâ tractantur solertiâ & accuratione (30), ut morbi indoles & ea, quae futura sunt, optime ex illis cognoscantur, summumque hicce liber mereatur in Arte Medicâ honorem.

Summam quoque laudem HIPPOCRATIS *Aphorismi* jure merito adepti sunt,

Griechen, bessere Menschen und würdigere Aerzte zu werden: unterdrückt eure niedere Leidenschaft und strebt nach den sittlichen Vorzügen, zu denen uns die Religion erheben kann!"

(29) SPRENGEL, *Apologie* t. I. p. 71.

(30) Egregie haec probantur hocce, ut e pluribus, quae afferri possent, unum tantum memorem, exemplo. Postquam egit de urina, in quâ apparet sedimentum vel nubecula cet. haec addit: "Ne vero tibi imponat vesica quoquo modo affecta, si hujusmodi urinas reddiderit. Non enim totius corporis, sed ipsius per se indicium est." vid. *Progn.* p. 41. conf. GALENUS, *de Crisibus* lib. I. c. 7. apud LINDENIUS, *classe* IV. p. 128. m.

ſunt, ingens commentariorum numerus, Aphoriſmos hos illuſtrantium, dictorumque veritatem confirmantium, ſatis ſuperque probat, quam firmo fundamento nitatur experientia Hippocratica, ne quidem per ſeculorum vim labefactanda.

Fidelis hiſtoria quatuor Conſtitutionum Epidemicarum, nec non quadraginta duorum aegrotantium, quam continent primus & tertius *Epidemicorum* liber, uberrimam praebent obſervationis copiam, cum, nullo admixto ratiocinio, eâ, quae veritatis optimus eſt character, ſimplicitate, accuratiſſimam exhibeat & tempeſtatis, quae praegreſſerat, ejusque, quae ipſos Morbos Epidemicos comitaretur, delineationem; morborum denique ſingulorum locupletiſſimam ſimulque breviſſimam hiſtoriam: ſic ut, qui noſtris temporibus hanc aſſequeretur ſcribendi rationem, doctorum profecto nanciſceretur exiſtimationem.

De libro, cui titulus eſt *de Ratione Victus in Morbis Acutis* pauca addam, quum ex hoc luculenter appareat, quantum ingenio, ſagacitate, experientiâ valebat HIPPOCRATES. Primus enim fuit, qui Medicinam Diaeteticam rite tractavit & in Artem Medicam introduxit (31), nam, qui ante HIPPOCRATEM vixerant, nihil effatu dignum de Victus Ratione ſcriptis tradiderant; eamque, quamvis magna res ſit, omiſerant (32). Egregia hoc in libro praecepta tradit de adhibendâ ptiſanâ, de fomentis, de vini & oxymelidis uſu, de balneis, aliisque, paſſim quoque erroneas Medicorum de Victus Ratione ſententias recenſet & refellit, eâ gravitate & perſpicaciâ, ut hoc ipſo vera agendi ratio magis eluceat.

Quantum ad Regionum, Aquarum, Anni Temporum, Nationum differentiam attenderit HIPPOCRATES & quam egregie perſpexerit, quanta ſit Climatis in hominum Corporibus, Moribus, Morbisque efficacia, patet ex libro *de Aëre, Aquis & Locis*, tam in Medicinâ, quam Hiſtoriâ, inſigni.

Nec

(31) LE CLERC, *l. l. c.* 15. *p.* 190. vid. PLATONIS locum apud CLERICUM, *pt.* I. *l.* I. *c.* 14. *p.* 44. HERODICUS forte aliquid de Diaeta ſcripſerat, licet autem hoc ita ſit, ex PLATONIS loco ſatis apparet, illud effatu dignum non fuiſſe & magis ad Gymnaſticam Medicinam pertinuiſſe.

(32) HIPP. *de R. V. in Morb. Acut. p.* 383.

Nec minorem laudem adepti ſunt, qui ſuperſunt Libri Chirurgici, quum autem ad ſcopum propoſitum minus pertineant, ſilentio eos tranſire licet.

Hoc unice, quod de omnibus, quos enumeravimus, libris valet, hic addam, illos nullam admixtam habere Theoriam, cum in eo Criticos maximum fere ponere ſoleant Genuitatis criterium (33).

Ex dictis patet, HIPPOCRATEM eſſe teſtem fidedignum; ejus ſcripta firmâ niti experientiâ, veras obſervationes, nullâ adamatâ ſpeculatione detortas, continere; unde conſtat: Fontes, quos diximus praecipuos, eſſe fidos, ab omni Theoriâ puros.

Inter optima ſcripta, quae aditum ad Fontes patefaciunt, Fontesque ipſos illuſtrant, obſervatione quoque confirmant, numerari poſſunt GALENI in libros HIPPOCRATIS Commentarii, maxime autem egregii, quos *de Criſibus* et *Diebus Decretoriis* ſcripſit, libri.

His in libris fuſe exponit GALENUS univerſam Criſis Doctrinam Hippocraticam: praeterea in illis multa continentur, libro imprimis *de Criſibus* ſecundo, de dignoſcendâ morborum ſingularium naturâ, quae ideo inſeruit (34), quod ex hac rite intellectâ morbi decurſus Univerſaliumque Temporum limites optime & tuto praevideri poſſint; non autem haec ad ipſam Doctrinam Hippocraticam pertinent, multamque interſperſam habent, de Materiali Febrium Cauſſa, theoriam. Diverſis quoque locis adverſarios, Sophiſtas, THESSALUM, ASCLEPIADEM, jure quidem merito, nonnunquam tamen, ut, quae mihi vera videntur, candide dicam, THESSALUM nimis animoſe reprehendit (35). Addidit denique librum, in quo ſuam de Diebus Decretoriis theoriam proponit: huic ſcilicet praemiſerat duos libros, in quibus exponit, quid experientia de his diebus docuerit.

Videamus, an illi GALENI libri tales ſint, ut Criſis Doctrina tuto ex illis illuſtrare & confirmare audeamus.

Fuit

(33) LE CLERC, *l. l. l.* III. *c.* 30. *p.* 240. *pt.* III. *l.* III. *c.* 4. *p.* 705. SPRENGEL, *l. l. t.* I. *p.* 415. (34) GALENUS, *de Criſibus*, *l.* I. *c.* 20. *p.* 133. D. (35) *l. l. l.* II. *c.* 3. *p.* 135. B.

Fuit GALENUS vir ingenii acumine & amplissimâ eruditione excellens, apud Romanos, non obstante Medicorum Romanorum invidiâ, summo in honore habitus (36), etiam inter optimos HIPPOCRATIS Commentatores numerari meretur.

Proposuerat in libris *de Crisibus* & *Diebus Decretoriis* ex scriptis HIPPOCRATIS veram illius doctrinam, tunc temporis maxime neglectam, exponere. „Omnia, inquit; quae ad Crisin attinent, vel futura praenoscere, vel jam praesentia dignoscere, ex aliis principiis haud invenio, quam ex iis, quae suppo-fuit HIPPOCRATES (37)." Quod consilium tanto magis ex eo apparet, quod passim HIPPOCRATIS loca adferat, & ex his doctrinae, quam proponit, fundamenta struat, propriam contra experientiam non nisi obiter notet.

Omnem de verbis disputationem, omnem Theoriam in libris *de Crisibus* & duobus prioribus *de Diebus Decretoriis* evitat GALENUS, & sive quis subitam in morbo mutationem, sive ad meliorem statum inclinationem solam, sive agitationem, quae eas antecedit, sive omnem morbi solutionem, sive eam tantum, quae bona sit, Crisin appellare vellet, nihil de Doctrinae veritate detraheret, quum illi non nisi obiter de nominibus disputationes distinguere propositum erat, sed, quo pacto morborum eventus quispiam praecognoscat, percensere instituerat (38). Hujusque propositi semper memor, ubique ad experientiam recurrens, adversariorum cavillationes enervat. „Si vero conantibus nobis, inquit, unde haec inveniamus, edocere, quispiam in contractionibus exercitatus, qualem habitum admirabilis ASCLEPIADES acquisivit, impediat, ac sermonem meum interrumpat, meminisse oportet, quod hic istud agens, non rem ipsam, sed, quae de ea re dicuntur, verba cavillatur. Neque enim, quod nullae repentinae perturbationes fiant aliquando circa corpus aegrotantis, potest asserere ASCLEPIADES: neque quod saepius post ipsas effatu dignae excretiones non eveniant: neque quod magna ex ipsis non sit facta in aegrotantibus permutatio: neque quod hujusmodi res non vocetur Crisis: sed, quod certante Naturâ contra caus-

(36) LE CLERC, *l. l. pt.* III. *l.* III. *c.* I. *p.* 660. SPRENGEL, *Pragmat. Gesch. der Arzn. t.* II, *p.* 127. seqq. (37) GAL. *l. l. l.* III. *c.* 8. *p.* 142. A. (38) *l. l. l.* I. *c.* 1. *p.* 125. C.

caussas morbos facientes ista non fiant, hoc demonstrare tentabit (39)." Et alio loco. „ Quidam Medicorum ne adfuisse quidem hujusmodi aegrotantium permutationibus (criticis) videntur: vel non inquirerent, quid judicationis vocabulo significaretur, neque an res ita fieri posset; vel minus. Utrum enim morborum quasdam subitas solutiones cum excretione aliqua, vel abcessu, fieri dubitant: an hoc quidem vidisse se profitentur, alia vero symptomata, quae ante paulum recensui, adesse ipsis ignorant? An haec quoque intelligunt, non autem id, quod accidit, judicationem appellandam esse, praedicant? Quod si est, non de Re, sed Nomine disceptatio est. Nam fateri non cognoscere, turbationes quasdam subitas suboriri aegro, Cardiogmo laboranti, vel exilienti, desipienti, aliaque id genus patienti: tum paulo post in eis vel sudore, vel sanguinis profluvio, vel alio quodam simili eveniente, securam morbi solutionem consecutam esse; hoc vel a contentione, vel dementiâ extremâ nihil distat: siquidem haec non inter ea numerantur, quae raro contingunt, sed quae potius quotidie apparent (40)."

Magis etiam, ubi de Diebus Criticis agit GALENUS, apparet, illum fideliter in omni illâ expositione evitasse Theoriam &, quemadmodum ea, quae de Crisibus per Experientiam cognita erant, libere indicaverat, sic & dierum differentias, quales ipse saepius viderat, quales & HIPPOCRATES aliique pronuntiaverat, libere exposuit (41). Et ut e pluribus locis, quae adferri possent (42), ad probandum, GALENI doctrinam de Diebus Criticis soli experientiae fundatam esse, pauca tantum adferam, multorum vices certe hicce explere poterit locus, quem, postquam de differentia & ordine dierum egisset, addit. „ Quid propofuerimus manifesto jam liquet. Nam sine nominibus etiam his, judicari, judicatum esse, judicium et decretoriorum, differentias dierum interpretatus sum: non ratione quâdam, vel dogmate abditorum, eas introducens, verum ex solo diuturno usu speculationem constituens. Porro quicunque, hoc omisso, vel quomodo judicationem definire conveniat: vel quae ratio sit, cujus occasione non aeque in uni-

(39) *l. l. l.* III. *c.* 8. *p.* 142. H. (40) GALENUS, *de Diebus Decretoriis*, *l.* I. *c.* I. *cl.* IV. *p.* 145. D. (41) *l. l. l.* I. *c.* 13. *p.* 145. H. (42) *l. l. l.* I. *c.* 3.

universis praedictis diebus judicia fiunt, disquirit: Sophistis controversiae ansam praebebit: qui hujusmodi sermonibus contradicentes, rem ipsam se subvertere putant: veluti si quis Videndi Caussis, quas Philosophi dicunt, reclamans, se Visum sustulisse credat: vel si quis, de motu quid dicat, non habeat, vel de loco, tempore, generatione & corruptione, cum Sermonibus Res quoque sustulisse arbitretur (43)." Ex quibus luce clarius apparet, GALENUM nullâ Theoriâ violasse experientiam & semper illi ante oculos versatam esse utilissimam illam & omnino necessariam Experientiae & Theoriae distinctionem, quâ systematum ardor rite moderatur, quae Vera Certaque sunt a Hypothesibus & Opinionum commentis decernuntur & justa artis limites dilatandi ostenditur via: a quâ vero neglectâ, aut non intellectâ, tot Sophistarum, Evidentia evertentium, Opinabilia amplectentium, errores originem duxerunt.

Nec mirum illi, qui hunc perlegerit locum, videbitur, Virum illum, admiratione omnino dignum, non nisi Amicorum precibus moveri potuisse, ut iis, quae experientia de Diebus Criticis docet & quae duobus prioribus *de Diebus Decretoriis* libris proposuerat, suam de his Theoriam subjungeret, quâ propositâ, haec addit. „Qui jam disputationis hujus subtilitati succenset, ac difficilem eam existimat, hunc nemo ipsam addiscere cogit, verum primus hujus operis liber ei sufficit. Quod, si non laboris fugitantior sit, secundum quoque adjiciat, a tertio autem abstineat. Nos siquidem haec (de Theoriâ Dierum Decretoriorum) paucis plane iisque invito, scripsisse affirmamus. Vos O DII IMMORTALES! novistis, Vos in testimonium voco, haec me Amicorum quorundam precibus vehementer ad actum scriptis mandasse (44)." Quem locum praecipue adscripsimus, quo magis pateat Scriptorum *Encyclopediae Gallicae* error (45); ne quid gravius dicamus. —

Ut denique Doctrinae Dierum Criticorum fundamenta maxime firma strueret GALENUS, ne suspicio oriri posset, se Ficta pro Veris tradidisse, non suâ usus est

(43) *l. l. c.* 5. *p.* 147. C. (44) *De Dieb. Decr. lib.* III. *c.* 10. *p.* 159. G. (45) *Encyclopedie des Connaiss. Humaines*, *t.* XII. in voce *Crise*, *p.* 344.

est experientiâ, sed alienâ, HIPPOCRATIS scilicet. Ipsius Viri verbâ illud demonstrant. „ Si, inquit, mea experimenta quoque deinceps recensuerim, longior quidem sermo erit, ceterum fidei nihil magis habebit: si etenim quispiam & ipse, quae aegris accidunt observare velit & ab HIPPOCRATE dictis credere, is nihil adhuc nostrâ experientiâ indigebit. At si vel sophismata evidenter apparentibus digniora esse, quibus credatur, existimet, vel Hippocratis dictorum nullam rationem curamque habet, talis non modo nihilo plus frugis ex nostrâ narratione reportabit, sed etiam ipsam irridere conabitur: hujusmodi vero frequenter dixi despiciendos esse (46)." Quis non miretur sapiens summi Viri consilium?

Constat ex dictis GALENI ejusque, quos memoravimus, librorum dignitas & fides, nec temere nobis agere videmur, si iis utamur, ut ad Fontes, quos posuimus primarios, patefiat aditus, & ut ipsi illustrentur & ulteriori observatione confirmentur.

Instructi igitur sumus tantae praestantiae & integritatis Fontibus, optimoque gaudemus Interprete, cui Fontis nomen tribuere vix dubitamus, ut certi esse possimus, Doctrinam, quae ex illis hauriatur, eosdem habituram characteres, quales in Fontibus posuimus, dummodo caveamus ne aliena admisceantur.

Hanc Doctrinam sequenti Capite proponere conabor: iterum atque iterum, quam antea imploravi, benevolentiam imploro: quae saepius dicta sunt repeto, nullam Speculationem, aut Theoriam, Doctrinam hanc infringere posse; quos continet errores ex male intellectâ mente Veterum oriuntur, saniori igitur tantum illorum explicatione corrigi possunt.

(46) *De Dieb. Decr. l. II. c. 5. p. 153.*

CAPUT SECUNDUM,

IN QUO CRISIS DOCTRINA HIPPOCRATICA EXPONITUR.

Morbi tempora, Universalia dicta, ut diſtinguantur a Particularibus, in quae ſingulae Acceſſiones dividuntur (1), plerumque quatuor numerantur, Principium, Incrementum, Status, Declinatio (2), de quibus paulo fuſius erit dicendum antequam ipſam Criſin aggrediamur.

Triplex eſt vocis Principii ἀρχῆς apud Veteres Medicos ſignificatio (3); ſignificat enim, vel primum morbi inſultum, qui latitudinem non habet (4): vel primam accessionem, quae ad tertium ut plurimum extenditur diem (5): vel primum univerſale morbi tempus (6): HIPPOCRATES vero duplici tantum ratione illam vocem ſumſiſſe videtur, de prima ſcilicet accessione, quae ad tertium extenditur diem (7), & de vero morbi tempore (8).

Prior ſignificatio vocis Principii non eſt artificioſa, ſed ex vulgari loquendi conſuetudine deſumta (9), quam fere ſemper ſequi ſolebat HIPPOCRATES; tres enim priores morbi dies, qui plerumque primam morbi acceſſionem circumſcribere ſolent, ſenſu vulgari morbi principium vocantur, quum poſtea, auctis plerumque ſecunda acceſſione morbi ſymptomatibus, morbus apud vulgum increscere dicitur.

Sae-

(1) *D. C. l.* I. *c.* 2. *p.* 125. H. (2) *l. l.* (3) *D. C. l.* I. *c.* 19. *p.* 133. A. GAL. *Comm.* I. *in Progn.* HIPP. *cl.* IV. *p.* 192. text. 9. (4) *l. l.* (5) *D. C. l.* I. *c.* 7. *p.* 127. G. *c.* 8. *p.* 128. G. (6) GAL. *l. l.* & *Comm.* I. *in Prorrhet.* HIPP. *cl.* IV. *p.* 161. D. conf. FOËSIUS in *Oeconom.* HIPP. in voce ἀρχή. (7) *D. C. l.* I. *c.* 6 & 7. (8) *l. l. c.* 9. *p.* 128. F. (9) *D. C. l.* I. *c.* 7. *p.* 127. G.

Saepiſſime occurrit apud HIPPOCRATEM haec ſignificatio, cujus rei egregium exemplum exſtat in *Prognoſtico*. „ Si per initia ἐν ἀρχῇ, inquit, morbi ejusmodi facies fuerit, neque adhuc ex aliis ſignis conjicere potueris, interrogare convenit, num aeger vigilaverit, aut alvus admodum liquida fuerit, aut eum inedia aliqua oppreſſerit: ” & paulo poſt Principio morbi haec opponit: „ ſi vero vetuſtiori jam morbo, aut triduo, aut quatriduo, talis facies exſtiterit, inquirenda ea ſunt, de quibus antea praecepi & reliqua ſigna (10). ” Ex quibus igitur patet, Principium hoc ſenſu non ultra tertium diem extendi, & quum plura hujus ſignificationis exempla memorantur a GALENO in iis, quos citavimus, locis & paſſim in Commentariis, hoc unicum hic ſufficiat.

Altera Principii ſignificatio, ex intimâ arte petita, non communi ſermonis conſuetudine, ſed fideli decurſus morborum nititur obſervatione. Progrediente ſcilicet morbo, in nonnullis primis jam diebus, in aliis poſt plurium intervallum, obſervatur magna Symptomatum & praeſertim Excretorum mutatio, quam Coctionis Signa appellare conſueverant veteres Medici. His ſignis proprium uniuscujusque morbi Principium determinari pluribus locis perhibet GALENUS (11), & quantum in diverſis morbis hujus Principii latitudo differat ſimul indicat, ubi ait. „ Verum uniuscujusque morbi Principium, quod etiam partem ipſius eſſe diximus, usque ad multos quaternarios extendi contigit: tunc enim primum finitur, cum Coctionis Signa apparuerint (12).” Sed ut haec Principii Significatio rite intelligatur, ante omnia erit inquirendum, quaenam ea ſint, ex quibus Cruditatis & Coctionis ſigna petantur, ut dein pateat, HIPPOCRATEM quoque voce Principii, ad Verum morbi Tempus ſignificandum, uti.

Signa Coctionis & Cruditatis petuntur ex corporis noſtri Excrementis, Urinis, Alvi Dejectionibus & Sputis (13). Hic vero probe tenendum, ſolam urinam Signa Coctionis vel Cruditatis exhibere, quae totum ſpectant corpus, reliqua, alvi excrementa & ſputamina, de conditione imi ventris & reſpirationis organorum

(10) HIPP. *Prognoſt*, p. 37. (11) Praeſertim *D. C. l.* I. *c.* 8. *p.* 128. D. (12) *l. l.*
(13) *D. C. l.* I. *c.* 14. *p.* 131. A.

rum testari, quod diversis locis, cum res sit maximi momenti, inculcavit GALENUS. „ Haec, inquit, tria signorum genera, singula quaeque Coctionis praebent Indicium: Urinae quidem ejus, quae fit in Venis (hoc est in universo Systemate Sanguifero): Dejectiones autem, ejus, quae in Ventre: Sputamina vero ejus quae in spirandi Instrumentis (14)." & paulo post & hoc addit monitum: „ In febribus omnibus ad urinas praecipue attendendum esse: in iis autem, qui laterali morbo afficiuntur, primum quidem ad sputamina, secundo loco ad urinas, quoniam is morbus omnino cum febribus jungitur: in passionibus autem ventris, si sine febre fuerint, sola alvi excrementa inspicienda esse: si autem cum febre etiam urinas". (†) Quod monitum, si non illud ex ipsis aegrotorum Historiis magni HIPPOCRATIS collegerit, illis saltem quam maxime confirmatur, quum ex ipsis illis aegrotantibus pateat, HIPPOCRATI eandem fuisse mentem (15).

Quinam sint singulis horum excrementorum, Cruda an Cocta sint, charactères ex ipsius HIPPOCRATIS locis optime patebit. „ Urina, inquit, optima est, in quâ per omne tempus, quoad morbus judicatus fuerit, subsidet album, laeve & aequale. Securitatem enim brevemque morbum fore significat (16)." & paulo post: „ Quoad autem Urina fulva fuerit & tenuis, crudum esse morbum indicat. Quod si diutius talis Urina perseveret, periculum est, ne non aeger sufficere possit, quoad Urina concoquatur." (17) Quod ad Alvi Dejectiones, ait: „ Alvi Dejectio optima est, si mollis est & consistat, eoque tempore, quo per sanitatem dejici solet, copiâ vero ciborum ingestorum rationi responderit. Talis enim exitus inferiorem alvum bene valere declarat. — Crassiorem autem fieri dejectionem oportet, morbo ad Judicationem procedente (18)." De Sputo denique haec habet: „ In omnibus pulmonis & laterum doloribus spu-

(14) *D. C. l.* I. *c.* 7. *p.* 128. A. (†) Conf. *D. C. l.* III. *c.* 3. *p.* 139. D. ubi eadem copiosius exponit. (15) Vid. Praesertim ex *lib.* I. *Epid. Aegr.* 1. 2. 6. 10. ex III. *Epid. Sect.* 2. *aegr.* 1. 8. (16) *Progn. p.* 40. (17) Cf. GAL. *D. C. l.* I. *c.* 12. *p.* 129. F. *c.* 7. *p.* 127. H. (18) *Progn. p.* 39. seq. Cf. GAL. *l. l. c.* 11. *p.* 129. *c.* 7. *p.* 127. H.

Sputum celeriter promteque exſpui convenit, Sputoque flavum valde permixtum apparere. — In pulmonis inflammationibus, ſi inter initia morbi Sputum excernitur flavum, non multo permixtum ſanguine, ſalutare eſt & confert admodum." Reliqua ſputamina mala appellat, malum quoque ubi nihil expurgatur (19). Quod ſi, his perlectis, conſideremus, HIPPOCRATEM alio loco ea, quae judicationem brevi fore certamque ſalubritatem portendunt, Cocta: quae judicationis ceſſationem, aut dolorem, aut diuturnitatem, aut mortem ſignificant, Cruda ὠμὰ, Incocta ἄπεπτα & In malos abcesſus converſa ἐς κακὰς ἀποςάσιας τρεπόμενα appellaſſe (20); nullum ulterius reſtat dubium, quales Urinae, quales Alvi Dejectiones, qualia Sputa Cocta dixerit, ea ſcilicet, quibus amicum tribuit nomen, illa vero, quibus illud negat, Cruda eſſe patet. Si denique ad hoc attendamus, COUM de Coctis generatim dixiſſe: illa optima eſſe, Sudorum vero aliorumque excretionum (21) vim ſalutiferam arctis admodum limitibus obſtrinxiſſe, haec tria unica eſſe excrementa, ex quibus ſigna Coctionis petierit, non latet.

Nec minus ex pluribus locis apparet, HIPPOCRATEM, praecipue ubi de cura morborum praecepta tradit, Principium dixiſſe ſtadium Cruditatis, id eſt illud ſtadium, per quod nullum manifeſtum Coctionis ſignum apparet, luculenterque quidem ex duobus his Aphorismis (22) „ Concocta purgare & movere oportet, non Cruda, neque in Principiis, niſi turgeant." & „ In acutis affectionibus raro, & in Principiis purgante utendum, atque hoc, prius diligenti adhibita cautione, faciendum." In utroque Principium ſignificat Cruditatis tempus: quum enim ex poſteriori pateat in Principiis tantum purgante uti ſolere HIPPOCRATEM: &, quae hoc loco de purgante monet, tuto ad venae ſectiones aliasque curationes, corpus valde moventes: dixit enim ipſe SENEX, vigentibus morbis, quiescere melius eſſe (23): extendere liceat: ex aegroto autem quodam (24) videamus, HIPPOCRATEM octavo die venam ſecuiſſe, mor-

(19) *Progn.* p. 41. cf. GAL. *l. l.* c. 7. p. 127. H. (20) *Morb. pop. lib.* I. *p.* 948. (21) *Aphor.* IV. 56. 36. (22) *Aphor.* I. 22 & 24. (23) *Aphor.* II. 29. (24) *Morb. pop. lib.* III. *Sect.* 2. *aeg.* 8.

morbo adhuc crudo, ut tuſſis ſicca indicabat, in aprico res eſt, in hoc Aphoriſmo, non de principio ſenſu vulgari, quod in prima continetur acceſſione, ſermonem eſſe, ſed de vero morbi tempore. Quod ſi conſtat, patet, in priori Principium eodem ſenſu ſumi: Cruda ſcilicet movenda non eſſe, niſi turgeant, ne quidem in illo morbi tempore, in quo ceteroquin purgationes inſtitui debent. (25)

Sponte intelligitur, inter urinam, & quae de urina dicuntur etiam ad alia cruditatis & coctionis ſigna transferri poſſunt, perfecte coctam & maxime crudam, imo perniciem oſtendentem, varios intereſſe debere gradus, & quaeri jure poſſet, quisnam urinae, quae Cocta in genere dicitur, gradus pro termino Principii accipi debeat. Hanc quaeſtionem egregie definivit GALENUS. Diſtinguit ſcilicet Coctionem Perfectam, Debilem & Manifestam.

„ Perfecta, inquit, Coctio eſt, quando in urinis ſubſederit aliquid, album & laeve & continuum." Ea haec eſt urina, quam HIPPOCRATES in *Prognoſtico* Optimam dixit.

Debilem Coctionem eſſe exiſtimat, quando ex aquoſâ mediocriter ſubpallida facta fuerit urina: & quidem ſi turbulenta apparuerit, & talis permanſerit, hoc quoque obſcurae & debilis Coctionis eſſe ſignum: rufam denique ac tenuem (26) ex eodem genere eſſe.

Manifeſta Coctio ſigna habet inter ea Debilis & Perfectae Coctionis intermedia, & hanc Principii terminum poſuit GALENUS dicens: „ Nihil horum (ſignorum Debilem Coctionem monſtrantium) Principium finitum eſſe oſtendit: haec enim manifeſtius indicium ſemper expetunt, vel ſolam nebulam albam, aut ſuſpenſionem aequalem, continuam atque albam. Et quidem & rubens nebula & ſubſidentia talis, & ſine ſubſidentia bene colorata, & craſſitudine mediocris, Principium finiiſſe oſtendit (27).

Quod ad ſputa idem obtinet: ubi poſt ſiccam tuſſim in Pleuritide jam quaedam exſpuere incipit aeger, Debilis aderit Coctio, quae Manifeſta dici meretur, quan-do

(25) *Aphor.* I. 24. (26) Minime fulva & tenuis talis eſt. Conf. HIPP. *Progn. p.* 40.
(27) GAL. *D. C. l.* I. *c.* 17. *p.* 132. C.

do sputa, licet non perfecte colorata, cum levamine prodeunt. Nec ad alvinas dejectiones hoc praeceptum transferre difficultatem habet.

Supra jam indicavimus, verum Principium morbi nonnunquam brevius; nonnunquam longius temporis occupare spatium, veluti in Diuturnis satis longum est Principii tempus, in Peracutis extreme angustum. Nam si statim in prima die in urinis appareat aliquod Signum Coctionis, jam hic Principium transgressum est (28)."

Principium morbi ad decimum septimum diem porrectum vidimus in ANAXIONIS (29), quam citavimus, historiâ, in hoc enim coctionis manifesta signa illo demum die observabantur: contra in alio aegroto (30) altero jam die Manifesta, tertio Perfecta adfuit Coctio, quarto Judicatione a febre est absolutus: reliqua enim morbi tempora, Adscensus & Status, Principii sequuntur rationem. Acutissimae febres, & quae securissimis fulciuntur signis, die quarto aut ante desinere dicuntur (31), & Morbus Peracutus statim extremos labores habet (32).

A Principio morbi secundum GALENUM incipit Adscensus (33), morbi vero Statu terminatur (34). Non autem video HIPPOCRATEM hoc morbi tempus, tamquam veram morbi partem, aperte distinxisse, & verosimillimum mihi videtur, totum illud morbi tempus, per quod Coctionis apparent Signa, usque ad morbi Declinationem, aut post Crisin abolitionem; ab eo morbi Vigorem ἀκμὴν appellari. Sibi enim fere ubique opponuntur Principium ἀρχὴ, stadium Cruditatis, & Vigor ἀκμὴ, stadium Coctionis: durante illo uberius nutriri debet aeger (35); remedia corpus moventia applicare licet Medico, si necessitas illud jubeat (36): durante hoc nec Pharmacis uti licet, nec multo cibo (37), quo vero, ut in diuturniori Principio ciborum copiam augere licet, sic etiam, si diuturnior sit Vigor morbi, copiosiori uti debet Medicus (38).

His

(28) GAL. C. D. l. I. c. 17. p. 132. A. (29) M. P. l. III. s. 2. aeg. 8. (30) l. l. aeg. 6. (31) Progn. p. 43. (32) Aph. I. 7. cf. GAL. l. l. c. 2. p. 125. H. (33) l. l. c. 20. p. 133. D. (34) l. l. c. 10. p. 128. H. (35) Aph. I. 10. (36) Aph. I. 24. II. 29. (37) Aph. I. 10. (38) Aph. I. 7.

His autem maximum accedit pondus eo, quod quodam loco dixerit HIPPOCRATES (39). „ Subtrahere (cibum) omnino saepenumero expedit, dum aegro sufficere posse videatur, donec Morbi Vigor ad maturitatem ducatur μέχρις ἂν τῆς νούσου ἡ ἀκμὴ πεπανθῇ." Status vero GALENI jam est summa, ut ita dicam, Stadii Coctionis maturitas; hinc igitur Vigor HIPPOCRATIS videtur continere Adscensum & Statum GALENI (40).

Interim doctrinam ipsam non tangit haecce quaestio, & nil impedit, quominus cum GALENO tempus illud, quod inter finem Principii & ultimas, unam duasve, accessiones, differt enim hoc pro gradu acutiei morbi, quae Declinationem antecedunt, interjacet; vel quod, si aliqua subita mutatio in morbis obtineat, initio Crisis terminatur (41); Adscensum vocemus, nisi illud, quod distinctionis subtilitas ejus utilitatem forte superet.

Morbi summum Vigorem sequitur, nisi mors in uno alterove stadio aegrum sustulerit, Declinationis Stadium, in quo omnium, quae ad morbum pertinent, vehementia paulatim minuitur (42), & dummodo a magnis in diaetâ erroribus caveatur, nullusve morbus relictus fit secundarius, sanitas restituitur: his enim exceptis, impossibile est, ut ait GALENUS, aegrotum hoc tempore mori (43).

Nonnumquam autem Judicatione Declinationis Stadium praevertitur.

Observavit HIPPOCRATES (44) diuturnas & difficiles febres continuas tertianarias valdeque incomposite & errabunde atque plurimum sine Judicio, tum his, qui exitialiter valde, tum his, qui nequaquam ita se haberent, permanentes, quum, si quibusdam aliquantulum intermitterent, in iis celeriter reversiones faciebant: Quibusdam iisque paucis, ad octogesimum diem cum brevissime Judicatione solverentur, nonnullis repetierunt, ut etiam in hyemem eorum plurimi aegrotarent. Plerosque vero omnes absque Judicatione deserebant. Haec autem tum his

(39) *De R. Vict. in morb. Acut. p.* 390. initio. (40) *D. C. l.* I. *c.* 2. *p.* 125. F. *c.* 10. *p.* 128. H. (41) GAL. *l. l.* (42) *Aph.* II. 30. (43) *D. C. l.* III. *c.* 5. *p.* 141. B. (44) *Morb. Pop. lib.* I. *status* 2. *p.* 945.

his, qui ſuperſtites erant, tum iis, qui moriebantur ex aequo contigerunt (45). Obſervavit dein aegros plurimos perfectâ Judicatione abſolutos. Obſervavit alios poſt varias imperfectas Criſes denique perfecte judicatos (46). Ex quibus tres diverſos convaleſcendi colligere poſſumus modos, ut

1°. vel Perfectâ Judicatione, κρίσι, abſolvatur aeger.

2°. vel Imperfecto Judicio (47).

3°. vel Solutione.

Patet quoque ex his una ratio moriendi, ea ſcilicet, quâ aeger paulatim ex morbo moritur, quem GALENUS Marasmum, Marcorem, dixit (48).

Sed antequam de ratione moriendi videamus, primo inquirendum eſt, quid κρίσις Judicium, Judicatio & κρίνεσθαι Judicari apud HIPPOCRATEM ſignificet.

Ex locis modo allatis patet, HIPPOCRATEM ſubitam quamdam in morbis mutationem Judicium, Judicationem, appellaſſe, opponitur enim Solutio per Judicium, Solutioni, quae paulatim fit. Sed nonnulli perhibent, HIPPOCRATEM omnem quamlibet notabilem in morbis mutationem dixiſſe Criſin (49): quantum vero iſtorum ſententia a veritate abſit patet ex aegrotae (50) hiſtoriâ, quae tuſſi aſſiduâ, humidâ, multâ, affligebatur, in quâ ſexageſimo die tuſſes absque ullâ, Judicationis Significatione defeciſſe dicuntur. Quid autem intellexerit per Judicationis Significationem HIPPOCRATES, explicat his verbis mox ſequentibus. „Neque enim ulla ſputorum concoctio exſtitit: neque quicquam eorum, quae abcedere ſolent, οὔτε ἄλλη τῶν εἰθισμένων ἀπόστασις. Requiritur igitur, ut aliqua in morbis mutatio Criſis dici poſſit, ut adſit Concoctio, vel ſaltem, ut quaedam Excretio aut Abcessus (51) mutationem comitetur.

Su-

(45) Conf. *Morb. Pop. lib.* I. *ſtatus* 1. *p.* 941. & *lib.* III. *ſtatis peſtil. p.* 1085. ſeq.

(46) In Hiſt. aegrorum in *l.* I & III. *Morb. Pop.* paſſim. (47) *Aph.* II. 12. (48) GAL. *D. C.l.* III. *c.* 7. *p.* 141. E. (49) *Encyclop. Gall. t.* XII. in voce CRISE, *p.* 339. (50) *Morb. Pop. l.* III. *Sect* 2. *aeg.* 2. (51) FOËSIUS in *Oecon.* HIPP. in voce ἀπόστασις.

Subita talis mutatio cum excretione aut abceſſu, quae igitur ab HIPPOCRATE Judicium dicebatur, ſecundum ipſius teſtimonium quadruplicem habere poteſt eventum: inquit enim. „ Animadvertere & noſſe oportet, his in temporibus futuras Judicationes ad ſalutem aut perniciem tendere, vel momenta in melius aut deterius facere (52)." & in *Prognoſtico* (53). „ Febrium Judicationes, quibus & evadunt & moriuntur homines, iisdem numerantur diebus (54)." Ex quibus locis ſatis ſuperque conſtat, HIPPOCRATEM omnem ſubitam morbi mutationem, quae fit cum aliquâ Excretione aut Abceſſu, ſive in pejus, ſive in melius, ſive in mortem, ſive in ſanitatem, tendat, generatim dixiſſe Criſin: licet tamen illi ſoli, quae bona eſt, κατ' ἐξοχὴν hoc nomen in ſcriptis plerumque dederit COUS.

Quot igitur ſupra ſtatuimus convaleſcendi modi, tot jure ſtatuere poſſumus moriendi,

1°. Criſi ſcilicet Perfectâ ſed Malâ,

2°. Criſi Malâ Imperfectâ, &

3°. Virium Diſſolutione, quae paulatim fit.

Quo HIPPOCRATIS ſenſu eodem quoque GALENUS Criſis accepit nomen. „ Criſis, inquit, ſimpliciter eſt morbi ſolutio ſubita: Imperfecta vero Criſis, ſubita morbi deminutio: Solutio autem ſimpliciter, quae in longiori tempore & paulatim facta eſt. Sicuti vero vel effatu digna evacuatio, vel omnino decubitus neceſſario in Criſibus fiunt: ita in Solutionibus neque agitatio aliqua, neque evacuatio, neque abceſſus accidunt (55)." Alio loco (56) haec habet: „ Ex aliis autem permutationibus, quae quidem ad ſubitam mortem, Mala Criſis eſt: quae vero aliquam effatu dignam faciunt mutationem, non tamen integram ſolutionem, Imperfectae Criſes vocantur: ſicuti & quae ſenſim, marceſcente vel Virtute, vel Morbo, contingunt, & hae Solutiones ſimpliciter, non Criſes nominantur."

Nul-

(52) *Morb. Pop. lib.* I. *Sect.* 3. *p.* 965. Conf GAL. in *Comm.* I. *ad lib.* I. *Morb. pop.* HIPPOCRATIS, *Claſſ.* III. *p.* 120 *text.* 16. (53) *p.* 43. (54) Conf. GAL. *Comm.* III. *in Progn. Cl.* IV. *p.* 206. D. *text.* 1. (55) *D. C. l.* III. *c.* 7. *p.* 141. F. (56) *l. l. c.* 1. *p.* 139. E.

Nullum hinc dubium relinquitur, quin ea, quae de Crisi profert GALENUS, vera sint de eâ re, quam HIPPOCRATES Crisin dixit, quum ambo eandem rem iisdem verbis denuntiarunt.

Morbi igitur, qui in sanitatem terminantur, de reliquorum decursu dein dicendi erit locus, Stadium habent Cruditatis, Principium, & Stadium Coctionis, Adscensum & Statum, sive Vigorem simpliciter. Haec Stadia sequitur morborum Declinatio, vel subitas patiuntur quasdam cum excretione aut abcessu mutationes, quae vel totum morbum simul & semel absolvunt, & Crises dicuntur Perfectae, vel illum partim tollunt, eumque non nisi per intervalla tollere solent.

De primâ ratione convalescendi hoc loco ex proposito non agitur, de duabus reliquis, de Crisi scilicet Perfectâ & Imperfectâ, iisque bonis, nunc videamus, ut pateat, quaenam tales Crises comitari & sequi soleant; quinam Perfectae, quinam Imperfectae Crisis sint Characteres: quibus denique in aegroto accidentibus certi esse possimus, bonam Crisin futuram esse.

Ea, quae Crisin comitantur, sive quorum universus complexus, Crisis dicitur, egregie descripsit GALENUS, nec mirum HIPPOCRATEM ea, non nisi partim & obiter, in scriptis memorasse, scripsit enim ut Medicus Medicis scribere solet, ea omittens, quae unicuique Medicorum sui temporis cognita erant. GALENUS contra, cum absolutam de Crisibus tractationem scribere proposuerat, & praecipue quidem eo fine, ut veram Hippocraticam Doctrinam, tunc temporis maxime neglectam, restitueret, & contra adversarios defenderet, ea omnia, quae ad Crisin spectant, dilucide exposuit. Hoc igitur loco scriptis GALENI praecipue inhaerebimus, non tamen ea omittentes HIPPOCRATIS loca, quae dicta confirmare & illustrare valent.

„ Subita ad sanitatem conversio, quae per excellentiam Crisis dicitur, omnino fit per manifestas quasdam excretiones aut effatu dignos abcessus (57)." Huc per-

(57) GAL. D. C. l. III. c. 2. p. 129. E

pertinent partim sudores boni, ex toto corpore manantes, vel urinarum copia, vel alvi excrementorum, vel vomituum: partim sanguinis ex naribus profusio, vel haemorrhoidalis fluxus; vel ex utero; abcessus denique ad Parotides, aut ad aliam partem ignobilem, aut in articulis (58), similiaque, quae HIPPOCRATES generatim signa solutoria λυτήρια dixit (59), & quae omnino ad bonam Crisin pertinent, sic ut Recidiva exspectanda sit in iis, quibus febris non cum his signis desinit (60). Has evacuationes quoque plerumque in aegrotorum historiis verbo notat (61), quum in evacuationibus, sponte evenientibus, semper attendi debeat, an evacuantur qualia oportet, an aetati & morbo conveniant (62), & hinc res sit summi momenti iis, qui Medicinam exercent, non ignorare, quales fuerint in aegris salutares evacuationes.

Hos Evacuationes & Abcessus praecedere solet non mediocris, licet gradu maxime diversa & in optima Crisi non admodum molesta (63), in corpore aegrotantis Perturbatio. Difficiles scilicet praecedere fere semper solent tolerantiae & vigiliae & graves somni (64): praecedit quoque rigor saepe validus (65), urinae quoque suppressio (66). Multis nonraro accessio consuetam anticipat horam, & longior & vehementior evadit. Praecedunt nonnunquam caligo vanique ante oculos splendores, oculi rubentes, vertigines tenebricosae, involuntariae lacrymae, surditas, temporum gravedo, hypochondriorum contentio, cervicis capitisque dolores (67). Praecedunt quoque oris ventriculi morsus, una cum capitis dolore, la-

(58) GAL. *de Dieb. Decret. l.* I. *c.* 1. *p.* 145. (59) *l. l. p.* 145. c. (60) *Progn. p.* 45.

(61) Notat. in I. *Epid. aegro* 3°. Criticum Sudorem, 6°. Urinam & sudorem, 7°. Sanguinis fluxum & sudorem, 13°. Vomitum & sudorem, III. *Epid. Sect.* I. 3°. Excretiones alvinas & sudores. *Sect.* II. 7°. Sudores & abcessum, 8°. Sputa & sudores, 11°. Sudores & fluxum menstruum, 12°. Sudorem, praecesserat perturbationem haemorrhagia narium. (62) *Aph.* I. 2. (63) GAL. *D. C. l.* III. *c.* 4. *p.* 140. & *de Dieb. Decret. l.* I. *c.* 2. *p.* 145. G. (64) *Aph.* II. 13. (65) *Aph.* IV. 58. 46. 29.

(66) Quibus rigor urinae suppressio *Coac. Praenot. p.* 121. conf. DURETUS ad hunc locum, *p.* 16.

(67) Haec pertinent ad ea signa, quae praegredi solent eruptionem sanguinis e naribus. conf. HIPP. *Progn. p.* 44 & 46. *Aph.* IV. 60 VI. 10. *Morb. pop. lib.* I. *p.* 948. in fine & *p.* 956. Conf. BOERHAAVE, *Aphor.* 742. & SWIETENUM in hunc locum, *T.* II. *p.* 457. seqq.

labii inferioris tremor & contractio, tenebricosa oculorum caligo, partium inferiorum refrigeratio (68), aliaque plura. Praecedunt etiam his graviora: nonnulli difficiles patiuntur anhelitus, delirant, implacidi sunt, exsiliunt, clamant, neque possunt in eodem situ recumbere, quae certe, quo vehementiora, eo in bona Crisi rariora (69).

Talibus similibusve perturbationibus incipit Crisis: deinde repente erumpunt, aut sudor, aut sanguis, aut alia, quae memoravimus, aut singula, aut plura simul, "unde non parvus invadit timor inspicientes, & quispiam homo vulgaris, cum istis adesset, necessarium fuit, ut conturbaretur, exclamaret, & rem ipsam Judicium nominaret, decet autem Medicum generosum neque turbari, neque futurum eventum ignorare (70)." Qualem?

Constans Perfectae Crisis eventus est plenaria morbi abolitio, testentur aegri, quos HIPPOCRATES perfecte judicatos proclamat, nulla in his Recidiva, nullum, nisi forte ex abcessu critico, malum (71) perfecte judicatis relinquitur: imo, durante adhuc Judicio, salutaria signa se rite observanti monstrant: "in optima enim Crisi, etiam dum aegrotans judicatur, febris solvitur, atque aliis accidentibus liberatur, & melius coloratus est pro ratione evacuationis, meliorem quoque habet pulsum, atque ad surgendum est robustior (72)." In perfecte itaque judicatis nullus relinquitur Stadio Declinationis locus, sed stadium Reconvalescentiae, quod proprie ad morbum non pertinet, in iis proxime attingit morbi Vigorem.

Sed non omnis Crisis, licet bona & salutaris sit, tamen perfecta est; sunt quoque Judicationes, quae tantum conditionem aegri aliquot partibus meliorem efficiunt,

(68) Haec vomitum potissimum antecedunt. vid. *Progn.* p. 43. in fine. p. 46. initio. conf. I. *Epid.* p. 948. in fine, p. 949. initio. (69) Confirmatur hoc eo, quod HIPPOCRATES talia symptomata expresse notavit in una aegrotante 11a. f. II. *lib.* I. *Epid.*, quum in reliquis Perturbationes Criticas, consuetas veluti, non notet. (70) GAL. *D. C. l.* III. c. 2. p. 139. *de Dieb. Decret. l.* I. c. I. p. 145. (71) Conf. *Aegr.* 7. *Sect.* 2. III. *Epid.* (72) *D. C. l.* III. c. 3. p. 139. &c.

ciunt, minime vero perfectam salutem praestant (73), & quae ideo Imperfectae Crises dicuntur. Post illas non perfecta restituitur sanitas, sed morbi aliquid relinquitur, quod recidivas facere solet (74). Sic HEROPHONTI (75), nono die imperfecte judicato, morbus revertit die decimo quarto, ad decimum septimum vero, sudore oborto, judicatur. ANAXIO (76) imperfectâ crisi, die vigesimo a febre liberatus, siti tamen vexabatur; vigesimo septimo recidivam facit febris & denique die trigesimo quarto perfectâ crisi, sudore per totum corpus diffuso, absolvitur.

Virgini cuidam (77), ABDERAE ad Viam SACRAM decumbenti, vigesimo morbi die abcessu, pauco sanguinis ex naribus fluxu, & sudoribus imperfecte judicatae, repetiit febris quarto die post; vigesimo septimo perfecta accidit Crisis, relicto ad pedes abcessu.

Mulier quaedam (78) in littore decumbens septimo die cum rigore, tremore, sopore, delirio, judicatur, juguli & bracchii dolor perseverat. Redit febris die undecimo, decimo quarto tandem per vomitum & sudores perfecte judicatur.

Maxima igitur quod ad eventum inter Crisin Perfectam & Imperfectam intercedit differentia.

Sed non magni esset pretii has crises eventu tantum distinguere valere, nec multum hac in re a Medico distaret Homo artis non peritus. Alias igitur inquiramus dignotiones, quae Medici animum erigunt, ubi Vulgaris terrore percellitur, quae scilicet Perfectas Crises praecognoscere, quae Imperfectas probabili ratione futuras praevidere, quae denique boni aut mali eventus in arte Apollinari versatum certiorem faciunt.

Quae haec omnia, eaque praestantissima praestare valent, ideoque a Medico omni studio & sedulitate observari debent, sunt

1°. Coc-

(73) HIPP. I. *Epid.* *Sect.* III. *p.* 965. cf. GAL. *D. C. l.* III. *c.* 1. *p.* 139. B. (74) *Aph.* II. 12.
(75) *Aeger* 3. I. *Epid.* (76) III. *Epid.* *Sect.* 2. *aeg.* 8. (77) III. *Epid.* *Sect.* 2. *aeg.* 7.
(78) I. *Epid.* *aeg.* 13.

1° Coctionis & Cruditatis Signa;
2° Quae accidunt Diebus Criticis futuri Judicii indicia, & Dies, quo ipsum Judicium accidit;
3° Morbi Natura;
4° Morbi Magnitudo & Motus;
5° Anni Tempora; nec denique Aetas, Sexus, Temperamentum, Victus Ratio, Regio, negligi debent (79).

Quae capita ab ipso HIPPOCRATE diversis locis indicantur, ut dein dicendi erit locus, nunc tantum praelibemus Aphorismum (80), plurima continentem. „Morbi, inquit, anni tempora; Periodorum ad invicem collata incrementa, sive quotidie, sive alternis diebus, sive longiore fiant tempore; indicabunt exacerbationes & constitutiones (81). Sed etiam ex mox apparentibus (signis coctionis) eadem indicantur, velut in Pleuriticis sputum, si statim appareat, veniente morbo, abbreviat: si vero postea appareat, producit." cet. Nulla omnino facta est in hoc Aphorismo mentio de Diebus Criticis, ideo, quod hic Aphorismus tantum spectet ad prognosin Vigoris morbi, quae requiritur ad rite instituendam diaetam, qua de re in hac Aphorismorum serie quaeritur, non ad prognosin ipsius Crisis, in qua multum valent Dies Critici, ut dein pluribus patebit. — Singula vero seorsim tractemus.

„Coctiones, ait HIPPOCRATES (82), judicationem brevi fore, & certam salubritatem portendunt. Cruda ὠμὰ vero & incocta ἄπεπτα, quaeque in malos abcessus vertunt, aut Crisium defectum, aut dolorem, aut diuturnitatem, aut mortem, aut eorundem (malorum) reversiones significant." Et mox vidimus, Epiphaenomena ostendere, an morbi futuri sint judicatu faciles an difficiles, breves an longi (83). Nulla igitur Crisis bona eaque perfecta firmiter praecognosci poterit, nisi Coctionis Signa praegressa fuerint. Haec in omnibus morbis

(79) GAL. *D. C. l.* III. *c.* 3 & 4. (80) *Aph.* I. 12. (81) Constitutio dicitur qualiscunque morbi ex Universalibus Temporibus, Principio, Vigore, Declinatione, compositio. vid. GAL. *D. C.* à I. c. 4. *p.* 126. 2. (82) *Morb. Pop. l.* I. *p.* 948. (83) *Aph.* I. 12.

bis signa omnium maxime tuta sunt & fida, haec semper stabilem & firmam habent potestatem (84). Imo GALENUS affirmat, se, "millies cum, dum crises fierent, adfuerat, neminem unquam vidisse intereuntem, qui, praecedentibus Coctionibus, Crisin habuisset (85)." Cui testimonio quanta fides sit habenda ex inspectis aegrotis in Epidemicorum libris patet. PERICLI (86) secundo jam die aderant signa coctionis; tertio urinae erant concoctae omnino laudabiles; quarto perfecta crisi absolutus est. In nullo autem alio aegrorum, quorum historia nobis reliquit, manifesta initio apparuerunt Coctionis Signa: omnibus hinc reliquis Inperfecta accidit Crisis, vel mala, aut improvisa. Non enim requiruntur, ut perfecta Crisis exspectari possit; Coctionis Signa Debilia aut Manifesta tantum, sed requiruntur Exquisita. In quibus v. g. die septimo Crisin Perfectam sperare licet, in iis quarto jam die requiruntur Fida Coctionis Signa (87): hinc igitur jure ait GALENUS: Optimam Crisin exspectare tempus Status: addens: „ si vero, vel propter morbi magnitudinem, vel motus celeritatem, vel propter aliquid aliud irritamentum, ante Statum Crisis venire cogatur, tanto haec optima deterior erit, quantum statum anticipaverit (88)." Status autem illud est tempus, quo exquisita fit Coctio (89); quo Vigor morbi ad maturitatem perductus est.

Quoties igitur Exquisita Signa Coctionis praegressa sint, toties optima Crisis erit exspectanda, quoties Signa Coctionis fuerint Debilia, aut nulla, toties, si Crisis accidat, Medicus Imperfectam eam praevidet, vel, accidentibus aliis signis, quae HIPPOCRATES plerumque simpliciter mala & lethalia dixit, & de quibus nondum ex professo agimus, Malam timet.

Sequitur ex dictis, signa illa, quae Crises comitantur, non semper boni omnis in morbis esse, & hic quidem magna intercedit differentia inter haec & signa Coctionis, numquam male apparentia, quo citius enim appareant, eo brevior

(84) GAL. *D. C. l.* I. *c.* 14. *p.* 131. B. (85) *l. l. l.* III. *c.* 3. *p.* 139. D. (86) *Morb. Pop. l.* III *Sect.* 2. *aeg.* 6. (87) *Aph.* IV. 71. (88) GAL. *D. C. l.* III. *c.* 6. *p.* 141. E. (89) *l. l. c.* 3. *p.* 141. A.

vior erit morbus (90), & omnino longum foret, omnia illa adſcribere loca, in quibus GALENUS ſalubritatem Signorum Coctionis in omni morbi tempore affirmat & repetit, (91) de iis autem, quae Criſibus adjacent, ſequentia monet. „ Criticorum autem accidentium infida eſt univerſa natura & contraria ſignificans & faciens in diverſis morborum temporibus. In his totum eſt praecognitionis certamen, nam in alio quidem tempore, ſecundum aliam diſpoſitionem, Critica ſunt, ſecundum aliam vero diſpoſitionem, vel morbi tempus, accidentia, vel ſigna prava fiunt, nec omnino Critica ſunt (92).” Quibus praecognitionis illud certamen praeſertim dirimetur, mox propoſuimus. Plura, quae & hic auxiliatrices adferre valent manus, nunc exponenda ſunt.

Quae ſecundo loco ad prognoſin Criſis faciunt, Indicia sunt futuri Judicii in diebus Criticis accidentia, et dies, quo ipsa Crisis accidit.

Omnibus morbi diebus criſes accidere poſſunt, non autem accidunt omnibus numero pares & aequali fide (93): fides enim exquiſita Criſis, quam Coctio praegreſſa promittit, a die non tantum indicatur, ſed a die quoque ſigillatur ac obſignatur. Nequaquam enim exiſtimandum, Diem ſolum ſine Signis Coctionis praegreſſis fidam reddere Criſin: „ Hoc qui exiſtimat, non tantum, affirmante GALENO, plus ignorat quam cognoſcit, ſed etiam Sophiſtis contradicendi occaſionem praebet (94).” Haec unica dierum eſt poteſtas: primo, quod Criſin magis fidam reddunt, ſi enim, aliis Coctionis indiciis rite ſe habentibus, Decretorius Dies deficiat, multum a Judicii fide tolletur (95): ſecundo, quod defectum aliquem, bonam Criſin oſtendentium, ſignorum quaſi ſuppleant; ſic ut, aliis decernendi ſignis non admodum completis, ſed Critico his Die accedente, ſolutionis ſe-

(90) *Progn.* p. 43. (91) *D. C. l.* I. *c.* 5. *p.* 127. C. *c.* 7. *p.* 128. C. *c.* 8. *p.* 128. D. *c.* 14. *p.* 131. A & B. *c.* 17. *p.* 132. C. *l.* III. *c.* 5. *p.* 141. A. *c.* 6. *p.* 141. E. (92) *D. C. l.* I. *c.* 14. *p.* 131. D. conf. *l.* I. *c.* 7. *p.* 128. A. & B *c.* 8. *p.* 128. E. HIPP. *Aph.* IV. 29. 36. (93) GAL. *de Dieb. Decr. l.* I. *c.* 2. *p.* 145. F. (94) *l. l. c.* 7. *p.* 148. B. (95) *l. l.* D.

securae spes quaedam affulgeat (96). Praeterea Dies Critici magnam habent, eo quod Crisin indicant ad Prognosin virtutem. In morborum Recidivis quoque eorum vis luculenter apparet, & denique ad Curationes morborum non leve momentum adferunt: "ne videlicet iis timeamus; qui fidis diebus judicati sunt, aut tenuem victum praebeamus: neve perfidis diebus judicatos parum diligenter observemus (97)." Quae omnia tanti sunt ponderis, ut non vanam existimemus operam, si iis aliquantum inhaereamus, Hippocraticamque hac de re doctrinam, quantum possimus, proponamus.

Sed primâ fronte videri posset, omnem illam dierum computationem esse difficilem & incertam, quum multi morbi latenter subeant, alios, per longum satis tempus, multa saepe antecedere soleant, laesam sanitatem ostendentia, qualia sunt Vigiliae, Lassitudines Spontaneae, Ciborum Fastidium, Capitis Dolor, similiaque; multique homines, talibus afflicti, obambulent, negotia obeant, ne Medicum quidem consulent.

Non difficilis autem ad haec omnia est responsio.

Primo. Multi morbi, iique praecipue, in quibus Crises occurrunt, ut dein patebit, vehementer adeo & de repente invadunt, ut eorum initium, ne imperito quidem latere possit (98). Illae vero febres, quae latenter adeo obrepunt, quales esse negari nequit, ut eorum principium non pateat, eaedem sunt illae, in quibus Crises non observantur, sed quae sine Crisi paulatim solvuntur.

Secundo. Quando symptomata, morbum imminentem significantia, per aliquot dies praegressa sint, antequam successerit febris, initium morbi, ratione scilicet dierum Criticorum habitâ, erit illud tempus, quo manifesto febricitare inceperit aeger. „Non enim idem, inquit GALENUS, sunt capitis dolor & febris: sicut nec vigilia, & cibi fastidium & totius corporis gravitas, vel lassitudinis sensus: verum singula haec, diversa quaedam a febre existentia, febrem denunciant. Tu igitur o Sophista! mentem hic adverte. Febris invadens neque Nos, neque Idiotam quemlibet, latere potest." & paulo post. „HIPPOCRATES & in iis, qui

(96) *l. l.* (97) GAL. *l. l. c.* 3. *p.* 146. D. (98) Cf. Hist. aegrorum in *lib.* I & III. *Morb. pop.*

qui statim decubuerunt, observationem faciens, & in iis, qui stando in erectum fatigati sunt, eosdem dies de ambobus Decretorios pronunciavit: non, ubi primum capite doluit (subintelliguntur reliqua symptomata), sed primum febricitavit, morbi initium constituens (99)." Cujus rei egregium exemplum habemus in *Epidemicis* (100), ubi, antequam ipsam narrat febris historiam & quae primo febris die acciderant, a quo reliqui numerantur, haec praemittit. „ Mulier quaedam in THASO austera & aspera, ex moerore manifesto recta adhuc & obambulans, insomniâ & ciborum fastidio tentata est, siti & magnâ corporis aestuatione premebatur. Habitabat autem ad PYLADIS aedes in PLANO. — Primo die, appetente nocte, febricula levis (ad speciem nimirum) cepit, mane Convulsiones multae vexarunt." cet. (1).

Nullum igitur relinquitur dubium de die, a quo morborum Initium est ducendum, nec ab hac parte ulla doctrinae hujus reprehensio timenda est. Quis autem, nisi testimonia superessent, credere posset, CAMPERUM (2), virum in aliis excellentem, sibi persuadere potuisse, GALENUM, postquam haec omnia luculenter exposuisset & fide Hippocraticâ demonstrasset, ad incitas redactum fuisse, atque ideo dixisse. „ Jam quidem morbi principium Medicis facillime cognoscitur. Si quis vero se ipsum ab hac appellatione eximit, nondumque persuasum habet: tum negari non solum Nos, sed etiam HIPPOCRATEM, DIOCLEM, reliquosque alios, quorum prius mentionem fecimus, existimat: is Cadmeam (hoc est vanam (3)) victoriam vincat (4)." Nonne enim re vera is, qui hoc existimat, victoriam sibi reportatam persuadet, dummodo luserit nominibus, hostleque potiri impotens opprobriis eum momorderit?

Quaeritur denique hoc loco, quomodo singuli dies debeant spectari?

Hac in re HIPPOCRATES vulgarem loquendi consuetudinem secutus est, tem-

(99) GAL. *de Dieb. Decret. l.* I. *c.* 6. *p.* 147. F. (100) *Epid.* III. *Sect.* 2. *aeg.* 11. (1) Conferri omnino meretur, *Epid.* I. *aeg.* 5. (2) *De optima agendi vel exspectandi in Medicina ratione* §. 5. in Vol. 2°. Dissertationum decem CAMPERI, *p.* 579. LINGAE 1800. (3) STEPHANI, *Lexic.* in voce CADMUS, LOND. 1689. Fol. (4) GAL. *de Dieb. Decret. l.* I. *c.* 6. *p.* 147. G.

tempus enim illud, inter solis ortum & noctem intermedium, Diem appellat, dieique partem pro integro habet. Mulier in THASO, modo memorata, primo die appetente nocte corripiebatur febre: Altero die febris ingravescebat. HIPPOCRATIS igitur exemplum sequamur.

Duplicem Dierum Criticorum ordinem constituit HIPPOCRATES, alterum Febrium Continuarum Continentium; alterum Febrium Continuarum Remittentium. Hunc in *Epidemicis* recenset his verbis. „Quae diebus paribus invasiones habent, ea diebus paribus decernunt. Quorum vero accessiones imparibus diebus fiunt, ea imparibus judicantur. Circuituum autem, qui diebus paribus judicant, primus est Decretorius quartus, sextus, octavus, decimus, decimus quartus, vigesimus octavus, trigesimus, quadragesimus octavus, sexagesimus, octogesimus, centesimus. Circuituum vero, qui diebus imparibus judicant primus est tertius, quintus, septimus, nonus, undecimus, decimus septimus, vigesimus primus, vigesimus septimus, trigesimus primus (5)." Observatione nimirum constat, Febres Remittentes Crisin habere in exacerbatione. Testem hic quoque habemus GALENUM, dicentem. „Oportet Crisin in idem tempus concurrere cum Accessione, & ita raro accidit, ut leviori die fiat Crisis: ut videatur bis tantum ARCHIGENES in toto tempore vitae suae id observasse, ego vero ad hanc horam semel solum (6)."

Alterum vero ordinem illumque praecipuum Dierum Criticorum, qui observantur in Febribus Continentibus, habemus in *Praenotionibus* (7). Postquam dixerat Auctor: Mitissimas febres aeque ac maxime malignas quarto die judicari, addit: „Primus itaque earum insultus ad hunc modum definit, secundus ad septimum deducitur, tertius ad undecimum, quartus ad decimum quartum, quintus ad decimum septimum, sextus ad vigesimum. Hi igitur circuitus ex acutissimis morbis, per quatuor facta accessione, ad vigesimum terminantur. — Post haec autem eâdem ratione juxta eandem adjectionem pri-

(5) *Epid. l. I. Sect. 3. p.* 965. (6) *D. C. l.* III. *c.* 4. *p.* 140. *n.* (7) *p.* 44. *initio.*

primus circuitus est triginta quatuor dierum, secundus quadraginta, tertius sexaginta. (8)." Ut enim in Febribus Remittentibus diebus paribus aut imparibus fiunt exacerbationes, quorum nonnullae prae aliis febres decernere amant, sic in Febribus Continentibus, quae regulares tales exacerbationes & remissiones non habent, diebus ab HIPPOCRATE memoratis, mutatio quaedam notabilis observari solet circa aegrotum, remissio scilicet vel exacerbatio omnium symptomatum, cum sensibili simul mutatione excretorum, vel ad pejus, vel ad melius: iis quoque diebus earum Crises accidunt, a Critico Die praegresso indicatae: iis denique post Imperfectas Judicationes Recidivae febrium fiunt. Sed, antequam de his fusius dicamus, pauca praemittenda sunt, de duplici ordine dierum Criticorum & de GALENI super hac re sententia.

GALENUS duplicem quoque dierum ordinem ab HIPPOCRATE propositum memorat, hos vero inter se conciliare & ex duobus unum constituere proponit, existimans, HIPPOCRATEM in *Aphorismis* & *Prognostico* tantum enumerasse Dies Criticos principes, in *Epidemicorum* libro autem omnes, tam principes, quam coincidentes. Secundum ejus enim sententiam HIPPOCRATES in *Epidemicorum* libris, ante *Prognosticon* & *Aphorismos* scriptis, notasset omnes quoslibet dies, in quibus Crises accidisse observaverat, verum postea, illis electis, in quibus plures Crises acciderant, eum constituisset ordinem, qui in *Prognostico* & *Aphorismis* reperitur (9). Haec sententia autem, licet ingeniosa, multis difficultatibus premitur. Nam, ne objiciam, diem vigesimum inter Criticos Dies earum febrium, quae imparibus aut paribus (10) judicantur, non reperiri; ne objiciam, parum firmis argumentis niti conjecturam de libris *Epidemicis* prius scriptis (11); ne objiciam in *Aphorismis* quoque duplicem ordinem memorari (12); hoc tantum teneatur, diem quartum nunquam dici posse

(8) Conf. *Aph.* II. 24. (9) GAL. *de Dieb. Decret.* l. II. c. 6. p. 154. (10) Non constat inter Criticos, an dies vigesimus pertineat ad seriem Dierum Criticorum illarum febrium, quae paribus exacerbantur. vid. FOËSIUS, p. 965. in nota ad locum cit. I. *Epid.* s. 3. ἔστι δὲ ἡ πρώτη. (11) K. SPRENGEL, *Apol. des* HIPP. t. I. p. 79. (12) *Aphorismi* 36 & 61. *Sect.* IV. pertinent omnino ad febres quae imparibus diebus judicantur.

posse Criticum in febre, quae imparibus, nec diem Septimum in illa, quae paribus exacerbatur, quomodo enim de vero Critico dici posset, illum infida judicia facere, perniciemque portendi, si illo fiat Crisis, quod tamen ex ipsius HIPPOCRATIS dictis de Septimo die in his, de Quarto in illis perhiberi jure potest, nam, postquam dixerat, iis, qui paribus diebus accessiones habent, paribus, qui imparibus, quoque imparibus Iudicia accidere, addit. „ Considerandum autem est, quod si quid aliter extra hos praescriptos dies decernat, recidivas fore, perniciemque portendi (13)." In aliis contra dies Quartus ponitur Decretorius tutus. Mitissimae enim febres ex Peracutorum genere, Quarto die judicantur, aliae ex eodem genere, sed diuturniores, Septimo, & ea quidem ratione, ut Quartus tunc fiat index Septimi (14), quod nec de iis, qui paribus, nec de iis, qui imparibus exacerbantur, dici posset; in illis enim quarto respondet sextus aut octavus, in his tertio quintus, vel quinto septimus. Sponte igitur cogimur duplicem agnoscere Dierum Criticorum Ordinem: alter Remittentibus secundum accessiones, qui duplicem habet dierum seriem pro ratione dierum parium vel inparium; alter Continentibus, secundum quaterniones.

Ipsa denique GALENI verba testantur, se in libris *de Crisibus* duplicem talem ordinem agnovisse: „ Dies Crisis, inquit, ex motu invenietur: nam si febris Synochus (continens) fuerit, ac nullus error acciderit, in quarto die sperandum est, Crisin futuram. Si vero Continua fuerit, magnitudinem ac motum inspicere oportet. Contingit enim in tertio vel quinto die Crisin fieri: in tertio quidem, si morbus sit magnus ac motum velocem habeat, in quinto autem, si neque valde magnus sit, neque velociter moveatur: oportet enim Crisin in idem tempus concurrere cum Accessione." & paulo post: „ Synochi, ubi nullus fit error, in quarto finiuntur per Crisin. — Continuae autem febres tertio die, vel quinto, rationabiliter finiuntur: nam si quandoque etiam quarto judicentur, ratione ejus accessionis, quae tertio die fit, id patiuntur (15)." Nullo igitur jure dies tertius & quintus in Febribus Remittentibus, quae imparibus exacerbantur, ha-

(13) I. *Epid. Sect.* 3. *p.* 965. (14) *Aph.* II. 24. (15) *D. C. V.* III. *c.* 4. *p.* 141. *D.*

haberi possunt coincidentes, tales nimirum, in quibus erratis quibusdam Crisis accidit (16), sed haberi debent Critici Primarii, in quibus, omnibus pulchre evenientibus, Iudicia maximâ ex parte perveniunt (17). Et ut dies tertius & quintus coincidentes habentur, ratione habitâ quaterniorum & exacerbationum paribus diebus, sic etiam quartus haberi debet coincidens in iis febribus, quae imparibus exacerbantur diebus.

Synochos (febres continentes) raro occurrere, ait GALENUS (18), quod non negamus: HIPPOCRATES tamen, in *Epidemicorum* libris, eorum potissimum aegrorum historiam nobis reliquit, qui continentibus febribus laborarunt, prae reliquis omnino notatu digniorem, & unicuique hos aegros inspicienti de veritate enuntiati Hippocratici: „ a primo die, animum advertere oportet, & pro singulorum quaterniorum additione considerationem adhibere, nec latebit quonam se vertit morbus:" (19) profecto persuadebitur.

Dierum tamen Criticorum in iis febribus, quae paribus diebus exacerbantur, habemus nonnulla exempla. In PHILISCO (20) quarto omnia graviora evadunt, sexto moritur. Sic etiam Virgo LARISSAE (21), quae diebus paribus affligebatur, die sexto judicata est. PYTHIO in THASO (22) similiter, postquam decretoria non decernentia apparuissent, die quarto, sexto & octavo, tandem decimo Malâ Crisi periit.

In Aphorismo, quem supra memoravimus (23), sermo est de Crisi febrium diebus imparibus exacerbantium, sed in illo reperitur dies decimus quartus & huic respondens trigesimus quartus, unde errori illud tribuere nimium foret. Sed nihil mihi videtur obstare, quo minus credamus, regulam generalem: „ Febricitanti, nisi in diebus imparibus dimiserit febris, reverti solet (24):" Hoc Aphorismo limitari (25) & experientiâ HIPPOCRATI de dignitate dierum

(16) GAL. *de Dieb. Decret. l.* II. *c.* 6. *p.* 154. A. (17) Ibidem. (18) *D. C. l.* III. *c.* 4. *p.* 140. E. (19) *Progn. p.* 44. (20) *Epid.* I. *aeg.* 1. (21) *Epid.* III. *Sect.* 2. *aeg.* 12. (22) *Epid.* III. *s.* 2. *aeg.* 3. (23) *Aph.* IV. 36. (24) *Aph.* VI. 61. (25) Cf. SPRENGEL, *Apol. t.* I. *p.* 72. in fine.

rum decimi quarti & trigefimi quarti, etiam in iis, quae imparibus diebus exacerbantur, conftitiffe. Sic ut V. G., fi in Febre Continua Remittente, imparibus exacerbante diebus, undecimo die Coctionis Signa adfint, exacerbatio diei decimi quinti plerumque anticipet & in decimum quartum una cum Crifi incidat, & eodem modo Exacerbatio & Crifis diei trigefimi quinti in trigefimum quartum diem.

Quicquid fit, Aphorismus hic fecundum quaterniones accipi nequit, deëft enim dies quartus, adeft vigefimus primus.

Habemus igitur, tefte HIPPOCRATE, fequentes Dies Criticos:

Ex ordine priori feries eft

Ia. Febrium, quae paribus exacerbantur, quartus, sextus, octavus, decimus, decimus quartus, vigesimus octavus, trigesimus, quadragesimus octavus, sexagesimus, octogesimus, centesimus.

IIa. Febrium, quae paribus exacerbantur, tertius, quintus, septimus, undecimus, decimus quartus, decimus septimus, vigesimus primus, septimus et vigesimus, trigesimus primus, trigesimus quartus (26).

Ex ordine altero

Febrium Continentium quartus, septimus, undecimus, decimus quartus, decimus septimus, vigesimus, vigesimus quartus, vigesimus septimus, trigesimus primus (27), trigesimus quartus, quadragesimus, sexagesimus, quos extendi licet ad octogesimum, centesimum, centesimum et vigesimum (28).

Quoniam vero morbi, qui ultra quadragefimum diem extenduntur, lento admo-

(26) Decimus quartus & trigefimus quartus addere his poffumus fi jufta fit conjectura de *Aph.* 36. IV. fi falfa rejici debent. (27) Tres illi dies in *Prognoftico* fubintelliguntur, conf. *Epid.* I. *aeg.* 10. *Epid.* III. *f.* 1. *aeg.* 2. *Sect.* 2. *aeg.* 7. 10 & 16. (28) Conf. *Epid.* I. *aeg.* 5 & 6. *Epid.* III. *Sect.* 2. *aeg.* 1, 2 & 8.

modum gradu procedunt, post illum quaterniorum ratio tuto negligitur, & tantum ad circuitum viginti dierum attenditur, qui a GALENO Perfectus dicitur. „ Ut Judiciorum, inquit, vehementia paulatim, procedente tempore exolvitur, ita & imbecilles Decretorios obscurari plane accidit: solos autem semper persistere, qui perfectum decretoriorum numerorum circuitum describunt. Videtur autem, ut per experientiam licet condiscere, primus Circuitus Perfectus esse, qui viginti diebus constat (29).

Diximus supra qualem vim habeant Dies Critici, singula vero nunc ex HIPPOCRATIS scriptis erunt demonstranda. Ex quibus potissimum, quod exponere proposueramus: Dies Criticos magnum adferre momentum ad Criseos Prognosin, apparebit. Necesse autem fuit prius de ipsis Diebus Criticis agere.

„ Septimorum quartus est index. Alterius septimanae octavus est initium. Notandus vero undecimus: is enim quartus est alterius septimanae. Notandus rursus decimus septimus, hic enim est quartus quidem a decimo quarto, septimus vero ab undecimo." Sunt verba ipsius HIPPOCRATIS (30), nec aliter sentit GALENUS. „ Coctiones, inquit, inspicere oportet, & horum praecipue effatu dignis transmutationibus mentem adhibere, si enim in Diebus Indicatoriis fiant, indicia sunt, quod sequentes Judicatorii Dies aegrotum liberabunt (31)." Dummodo igitur attendatur ad singulorum quaterniorum additionem, non latebit quonam se vertit morbus. Si V. G. Signa Coctionis Manifesta adsint die quarto, aderit septimo Perfecta Crisis (32). Si adsint septimo Crisis erit undecimo & sic in reliquis; nam ex praecepto: semper ad quaterniorum additionem esse attendendum: apparet, praesentem Diem Criticum in universo dierum ordine Indicem esse sequentis.

Quantum igitur haec momentum ad bonae Criseos Prognosin adferant unusquisque intelligit; & si dein hasce HIPPOCRATIS sententias conferamus cum iis, quas

(29) *De Dieb. Decret. l.* II. *c.* 9. *p.* 154. G. (30) *Aph.* II. 24. (31) *D. C. l.* III. *c.* 4. *p.* 139. H. (32) *Aph.* IV. 71. cf. GAL. *de Dieb. Decret. l.* I. *c.* 4. *p.* 146. B.

quas nobis reliquit, aegrorum hiftoriis, certi evadimus, dicta non tantum valere de Bonâ Crifi, fed etiam de Imperfectâ, imo quoque de Malâ, plurimumque valere Dies Criticos ad aegri falutem vel perniciem praecognofcendam. Exemplis res clarefcet. — CHAERION vehementiffimâ febre correptus prava habet Symptomata, mortem vel morbum difficilem oftendentia, quarto autem Symptomatum remiffio bonum exitum fperare facit, non autem Bonam Crifin die jam feptimo, urinae enim tenues erant, licet boni coloris, fed propter vehementiam morbi Imperfectam, eamque bonam, promittit. Septimo imperfecte judicatur; nono morbi Recidivam patitur; decimo feptimo iterum Imperfecta accidit Crifis, fed urinae hoc die coctae bonam Crifin praeöftendunt, quâ die vigefimo perfecte abfolutus eft (33). — Mulier quaedam laborans febre acutâ, delirii praefagiis ftipatâ, quarto die delirio affligitur, dexter oculus illi pervertitur, fudor frigidus circa caput dimanat, extremitates frigidae funt, urinae denique paucae & nigricantes: — Moritur feptima (34). — Nec in his folis res fic obtinuit, fed omnes, qui fervati funt, uno forte excepto (35), quarto die habuerunt bona, refpectu fcilicet ad praegreffa Symptomata graviora: qui interierunt fere omnes, pauci enim funt, ubi quartus dies non memoratur, die quartâ prava habuerunt Symptomata. Immo de univerfa conftitutione, e quâ plurimi moriebantur, poftquam alia fymptomata lethalia enumeraverat, ait HIPPOCRATES: „ Plerisque vero omnibus maximi labores die quarto aderant. — Neque horum cuiquam res ad recidivam devenit, verum Sexto die cum fudore perierunt (36)."

Hoc loco quoque ea in memoriam revocentur, quae antea jam diximus, de Signis Coctionis, quae ad totum Corpus & ad ea, quae ad Organa fingularia pertinent. Ut firma fit prognofis in iis febribus, quae cum topicâ aliquâ affectione junctae funt: omnino opus eft, ut Signa Coctionis non tantum Univerfalia appareant, fed etiam ea, quae ad Organon affectum fpectant, nam licet in his figna Univerfalis Coctionis in urinis adeffent, non autem fimul figna Topi-

(33) *Epid.* III *Sect.* I. *aeg.* 5. (34) *l. l. aeg.* 11. (35) *Epid.* I. *aeg.* 7. (36) *Epidem*, *lib.* I. *Status tertius*, *p.* 954.

picae coctionis, Crisis quidem exspectanda esset, sed talis, qua pars proprie affecta succumberet. Egregiam absolutamque hujus rei tractationem nobis tradidit HIPPOCRATES in *Prognostico* (37): quae, quod hoc loco monuimus, probare valent, hic tantum addamus. „ Suppurationis, inquit, initium fore ratione comprehendere oportet, ab eo die, quo primum aeger febricitavit, aut etiam primum rigor prehendit, & si pro dolore, sibi pondus in eo loco, qui dolore affligebatur, inesse dixerit (38)." Et quae hoc loco de pulmonum affectione profert HIPPOCRATES transferri jure possunt ad omnes topicas affectiones, quae febrem comitem habere solent (39).

Magna sane est dierum differentia: Criticis diebus tuta fiunt Judicia (40), reliquis imperfecta & infida, " nisi enim febris cessaverit, apparentibus Solutoriis Signis & Diebus Criticis, Recidiva exspectanda est (41)." Sed non omnes tamen Dies Critici, quod ad judiciorum quantitatem & fidem, ejusdem sunt valoris.

Primarii dies Critici hoc respectu sunt septimus, & decimus quartus, hunc proxime sequitur vigesimus, dein quartus, undecimus, decimus septimus (42). In tertio quoque, quinto & nono nonnumquam Febrium Continentium judicia satis fida incidere, probant observationes Hippocraticae (43), unde illis Coincidentium nomen datum est. Reliquos vacuos dixerunt, cum in illis pauca vel imperfecta judicia observantur.

Remittentes in imparibus aut paribus secundum accessiones tuto judicantur, tutissime omnino in illis diebus, de quorum bonitate observatione constat.

Sed omnino hic notari meretur dies infamis, malus decretorius (44), sextus scilicet. Atro carbone illum notavit HIPPOCRATES (45) & salutare Judicium, quod in illo observaverat, expressis verbis notavit (46), addens, postquam

(37) *p.* 41. Seq. (38) Cf. *Aph.* V. 8. (39) Cf. *Progn. p.* 38. De Praecordiis. (40) *Aph.* IV. 36. (41) *Progn. p.* 45. (42) Cf. tabula Dierum Criticorum HAENII in *Ratione Medendi*, *t.* I. *p.* 64. VINDOBONAE. (43) Cf. *Epid.* III. *Sect.* 2. *aeg.* 11. (44) GAL. *De Dieb. Decret. l.* I. *c.* 4. *p.* 146. G. (45) *Aph.* IV. 29. (46) *Epid.* III. *Sect.* 2. *aeg.* 12.

quam notaverat, aegram fexto die judicatione effe abfolutam: „ Huic morbus non repetiit."

GALENUS fextum feptimo opponit, veritati non minus quam elegantiae ftudens. „ Sextum diem, ait, quanto pauciores in eo judicantur, quam in feptimo, tanto quoque maligniorem invenio, ut qui fere ex adverfo naturâ feptimo oppofitus fit. Etenim, qui in quarto ad pejorem ftatum recidunt, plerique fexto moriuntur. E contrario rurfus, fi bona converfio contingat, feptimum Crifis exfpectabit. Et, fi raro interim ad meliora converfionem in quarto die evenientem fextus dies excipiens judicarit, incredibile eft, quantâ cum perturbatione, periculo & metu hoc fiat, quafi aeger ftatim adeo fato fit functurus. — Mihi equidem frequenter in mentem venit feptimi diei naturam Regi affimilare, fexti vero Tyranno. Ille fiquidem providet, tanquam bonus aliquis princeps, iis, quos judicat, ut vel fupplicii partem adimat, vel illuftret victoriam: fextum vero diem e contrario finxeris, vel pernicie illius, quem judicandum accepit, gaudere, vel falute dolere, quaerereque ubi animum expleat, & male aegrum, qui in ipfum incidat, tractet, & longa punitione involvens exerceat (47)."

Haec omnia fi confideremus nullus dubio relinquitur locus, quin & ab hac parte utilia poffint duci ad Prognofin axiomata practica. Non firma v. g. falutis fint figna die quarto, nox praecedat inquieta, febris magis emicet iterumque remittat fine excretione, fed convulfiones folvantur delirio: urinae antea tenues fiant melius coloratae: jure Medicus, fi morbus magnus fit, feptimo die exfpectat fubitam quamdam, licet imperfectam, in melius mutationem, fed augeatur vehementia morbi, Critica Signa jam die fexto incidant, mutabit prudens fententiam, aegrum periclitari exiftimans, & nifi de morte, de validâ faltem recidivâ follicitus.

Ne tamen quis credat, hanc vim ipfi diei ineffe, vis enim diei eft a morbo & ab hoc aegri falus vel pernicies. Quae primo alterove febris die jam erumpunt Variolae funt peffimae, an hoc a die vel a morbo?

Sed

(47) *De Dieb. decret. l.* I. *c.* 4. *p.* 146. F. C. G. cf. *c.* 5. *p.* 147. R.

Sed non raro Crisis duos imò tres occupat dies: nonne hoc recens exstructum Prognoseos fundamentum evertit?

Subtiliter huic quaestioni respondet GALENUS (48), cujus generales, quas exhibet, regulas hic exposuisse sufficiet.

In illis morbis, qui regularem satis decursum habent, in quibus Manifesta Coctionis Signa apparent, res non adeo magnam habet difficultatem. Index enim dies hic potissimum, si qua de die Criseos oritur dubitatio, quaestionem dirimere valet: Contineat v. g. urina die quarto nubeculam rubram aliaque adsint signa coctionis; incipiant Perturbationes Criticae die sexto ad finem vergente, unâ alterâve horâ ante mediam noctem, fiant has insequentes Excretiones die septimo, tempore matutino, a febre aegrum absolventes: incipiatve Crisis tempore vesper- tino diei septimi, libereturque aeger a morbo, incipiente jam octavo die; Crisis potissimum habenda erit septimi diei, indicati nimirum, quem etiam Judicium attigit eademque ratio est reliquorum. „ Si enim, ait GALENUS, quarto vel undecimo Indice facto, Crisis quolibet modo attigerit vel septimum vel decimum quartum, illorum ipsam Crisin esse arbitrari oportet (49)." Intelligitur vero, Crisin, si extra dies, a praegresso Critico indicatos, accidat, eosque non pro magnâ parte attigerit, non indicatorum dierum, sed aliorum, quos maxime attigerit, esse habendam.

In Remittentibus Febribus idem valet Accessionum Analogia, quod in Continentibus Quaterniorum Consideratio. Si igitur v. g. in febribus, quae imparibus exacerbantur, accesfio, quae Crisin facit, tempus solitum anticipat, & Crisis hinc diem parem & imparem attingat, imparis potius habenda erit, & hoc quidem eo magis, si Crisis tempus Coctione praegressâ fuerit indicatum.

Praeterea alia quoque in auxilium vocari possunt, ut quaestio dirimetur, Dierum Natura, Numerus Temporum ipsius Judicii, Pars denique Dierum, quam Crisis occupat. Quae quidem tunc praesertim attendi merentur, quando signa Crisin indicantia fuerint dubia. Tali in casu quis dubitet,

(48) D: D. D. l. I. c. 8. p. 148. E. (49) l. II. c. [illegible]

tet, an Crisis pertineat ad sextum, an ad septimum diem, solvere quaestionem valet Experientia, quae sextum Malum, septimum Bonum plerumque Decretorium monstravit, hinc enim, si Crisis sit Bona potius septimi, si Mala sexti habeatur.

Tempora Judicii tria distinguit GALENUS (50): Initium accessionis, in quâ Crisis incidit, Perturbationum Criticarum Principium, & Finis judicii. Existimat quoque illius diei, ad quem duo horum Temporum pertineant, potissimum Crisin esse. Attendendum autem simul est ad partem dierum quam Judicium occupat, quae si unius sit maxima, alterius minima, prior Judicium sibi vindicabit.

Nisi haec sufficiant distinguere cujusnam diei sit Judicium, quod tamen raro fiet, utriusque dicatur.

Nonnunquam tres dies attingit Crisis, praesertim in morbis longioribus (51). Secundum Numerum Temporum, Partemque dierum potissimum medii diei existimanda erit Crisis, minime tamen negligatur primus, praesertim quando Signa Prognostica, Quaterniorum Ordo, sive Analogia Accessionum eum Criticum denuntiant, ad quae hac in re definiendâ potissimum est attendendum.

Raro autem opus est rem anxie perscrutari, in plerisque casibus nullum de Die Critico relinquitur dubium: in aliis, ubi nobis de re non constat, profecto sufficiet, praeëunte HIPPOCRATE, dicere Circa diem. CLAZOMENIUS circa περὶ diem trigesimum quartum imperfecte judicatus, circa quadragesimum constitit (52).

Ex his omnibus Medicus, quâ illum decet ratione, Crisin Perfectam Imperfectamque praevidere valet, sed latius quoque se extendit Dierum Criticorum usus. Experientiâ enim HIPPOCRATIS & GALENI (53) constat, morbos imperfecte judicatos solere Recidivas facere sequentibus Diebus Criticis.

Plurima hujus rei exempla in *Epidemicis* occurrunt. HEROPHONTI (54) no-

(50) *l. l.* G. (51) *l. l. c.* 10. *p.* 149. D. (52) *Epid.* I. *aeg.* 10. cf. *aeg.* 13. aliique.
(53) *De D. D. l.* II. *c.* 5. *p.* 153. H. (54) *Epid.* I. *aeg.* 3.

nono die morbus decrevit, intermisit, rediit decimo quarto, judicatus est decimo septimo. — CHAERION (55) itidem septimo judicatus est, febris nono, Critico Coincidente, rediit, iterum decimo quarto judicatus est, decimo septimo iterum, vigesimo quoque, sed Perfectâ Judicatione absolutus est. — Pluribus aliis exemplis haec observatio confirmari posset, etiam Constitutione Epidemicâ (56), quam descripsit HIPPOCRATES, licet tamen & ibi e contrario multi reperiantur, in quibus res non ita accidisse videtur. Hoc autem tenendum: errores in Recidivis plurimum valere, aegrosque se, durante fallaci illa morbi quiete, ab erroribus minus cavere, & hinc non raro Recidivas provocare, imo illis occasionem praebere. Innuit hoc HIPPOCRATES, ubi ait: „Multi circa Arcturum undecimo die judicatione absoluti sunt, neque his, quae ob justam caussam fieri solent, morborum Reversiones recurrerunt (57)." Quae licet generalem regulam limitent, minime tamen tollunt, &, dummodo cautiones rite teneantur, dummodo simul ad Indolem Constitutionis Epidemicae attendatur, illa magnum afferre valet emolumentum ad Prognosin, quum ex ipsâ non tantum probabili conjecturâ diem reversurae post Imperfectam Crisin febris praesagire possimus, sed etiam tunc, quando hoc respectu fallimur, ab alterâ parte, errorem hunc habeamus compensatum eo, quod multum ad Diagnosin faciat scire, an febris experientiâ statutum Recidivae tempus anticipaverit, vel exspectaverit.

Ex cognitâ Morbi Naturâ utilia quoque duci possunt Corollaria ad praecognoscendam Crisin, optimamque dignoscendam. Maxime hanc rem inculcavit GALENUS, qui in *libro secundo de Crisibus* fuse & subtiliter agit de dignoscendis Morbis Incipientibus, vel statim jam primo die, vel ad summum intra quatriduum (58). Monuit tamen, hoc ut fieri possit, primo cognoscendos esse Morbos Perfectos, nam, sicuti neque Olivam, neque Ficum, neque Quercum, nuper terrâ pullulantem, unquam internoscere possimus, nisi perfectas plantas noscamus, pari ratione nos effugere cognitionem incipientium morborum, si ef- for-

(55) *Epid.* III. *s.* I. *aeg.* 5. (56) *Epid.* I. *status* 2. (57) *Epid.* I. *status* 3. *p.* 954.
(58) *D. C. l.* II. *c.* 9. *p.* 136. E.

formatos perfectosque ignoramus (59): porro, primo loco exercitio habitum acquirendum esse dignoscendi Febres Simplices, dein ad Compositas esse transeundum (60). Longum foret hac de re GALENI experientiam exponere & a scopo quoque alienum, sufficiat paucis generalibus demonstrare, morborum Diagnosin ad praecognoscendam & dignoscendam Crisin multum quoque valere.

Non omnia morborum Genera per Crisin terminantur, &, qui Crisin recipiunt, morbi non intra idem tempus, neque semper.

In Chronicis Morbis non Febrilibus non observantur (61). Sine Febre enim Crisis, qualem ex HIPPOCRATE proposuimus, ne animo quidem concipi potest. Primo igitur requiritur loco ut Morbus sit Febrilis. Nec hoc tantum, sed requiruntur Morbi Febriles Acuti, qui viginti diebus terminari solent (62). Pituitosa v. g. Febris, qualem STOLLIUS descripsit (63), quae ad multas septimanas porrigitur, subitas mutationes, quae Acutorum sunt (64), non exhibet. In Febribus contra Biliosis STOLLII (65): in Febribus Inflammatoriis (66): in Febre Ardente (67): In Pleuritide (68): in Phrenitide (69): eas exspectare licet.

Illi porro morbi non omnes eodem temporis intervallo circumscribuntur; Biliosae Febris decursus variat diverso tempore, Inflammatoria quatuordecim plerumque diebus terminatur; Ardens perfecta septimum raro transit diem; Pleuritis exquisita, inflammatoria, intra quatuordecim dies plerumque judicatur; Phrenitis ultra septimum diem vix porrigitur.

Differt denique Ratio Exacerbationum in diversis morbis: Biliosa Febris ad familiam Continuarum Remittentium pertinet: Inflammatoria, vel simplex, vel cum topica affectione conjuncta, Continens est.

Ex

(59) *l. l. c.* 2. *p.* 132. H. (60) *l. l. c.* 7. *p.* 135. H. (61) *D. C. l.* III. *c.* 3. *p.* 139. F. (62) GAL. *De D. D. l.* II. *c.* 12. *p.* 155. F. Conf. HIPP. *Progn. p.* 44. (63) STOLL, *Aphor. de cogn. & cur. Febr.* §. 376. seqq. (64) GAL. *D. C. l.* III. *c.* 3. *p.* 139. F. (65) *l. l.* §. 340. seqq. (66) *l. l.* §. 51. seqq. (67) BOERHAAVE, *Aphor. de Cogn. & cur. Morb.* §. 738. seqq cf. STOLL, *l. l.* §. 479. seqq. (68) BOERH. *l. l.* §. 875. seqq. cf. STOLL, *l. l.* §. 193. seqq. (69) BOERHAAVE, *l. l.* §. 771. seqq. STOLL, §. 6. seqq.

Ex quibus omnibus abunde jam patet, Diagnosin morborum & suum conferre ad distinguendos morbos, in quibus Crises non exspectari possunt, ab iis, in quibus maxime usu veniunt: ad Dies Criticos in singulis cognoscendos: denique ad limites, ultra quos in singulis Crisis plerumque non accidit, determinandos.

Praeterea quoque cognita Indoles morbi facit ad dignoscendam Optimam Crisin; in ea enim requiritur ut Excretio Indoli morbi respondeat (70). Febris Biliosae Criticae Evacuationes potissimum fiunt per alvum & vomitum: Inflammatoria sudoribus, haemorrhagiis & urinis, saepius solvitur: Ardens narium haemorrhagiâ & sudoribus calidis, post validum rigorem praegressum: Pleuritis sudore & haemorrhagiâ, urinâ hypostaticâ & sputo simul prodeuntibus: Phrenitis sudore universali, praesertim ex capite, eoque calido, narium haemorrhagiâ, haemorrhoidibus: Hepatitis, ut & hoc addam, optime sanguinis fluxu ex nare dextrâ (71): Sic quoque alii prae aliis, ut tuto judicentur, singulares, singularique ratione prodeuntes, amant Excretiones, quas novisse ad Medicum maxime attinet.

Ut autem praecognoscamus an morbi, in quibus jure Crisin exspectamus, citius vel serius intra cognitos limites judicationem sint habituri an absque judicio per Λύσιν tantummodo solventur, attendendum est ad Morbi M a g n i t u d i n e m & M o t u m.

Duplici sensu Morbi M a g n i dici possunt, vel ratione habitâ aliorum morborum; Pleuritis v. g. morbus erit magnus si conferatur cum Biliosâ Febre, Biliosa magnus quoque morbus respectu Intermittentis: vel quoad singulorum Vehementiae gradum; & hoc quidem sensu nunc M a g n i t u d i n i s voce utimur, supra enim jam diximus; Morbos Acutos semper requiri, ut Crisis accidere possit, Acutique Morbi jam per se sunt Magni.

Magnitudo igitur, de quâ hic sermo est, cognoscitur ex S y m p t o m a t u m, uni-

(70) GAL. D. C. l. III. c. 3. p. 139. E. (71) BOERH. l. l. §. 923. conf. de omnibus GAL. D. C. l. III. c. 3. p. 139. B.

unicuique morbo propriorum, Vehementiâ & Quantitate, & ad hanc quoque Magnitudinem attendi debet, ut de futuro Judicio vel Solutione simpliciter Judicare possimus, non enim omnis Morbus Acutus per Crisin terminatur; hoc ut fieri possit, requiritur simul Magnus, si Acutus sit parvus simulque benignus per Lysin profecto in sanitatem abibit (72).

Nec Coctiones, licet ubique salutis, non semper tamen futurae Crisis sunt indicia, "accidere enim potest, ut morbus in longiori tempore paulatim coctus ad integram deveniat sanitatem (73)." Pleuritis V. G. si neque vehemens sit dolor, neque immodica febris concomitans, neque tussis sicca, adhibitâ simul Antiphlogisticâ Curatione, Crisin non requirit (74). Sint vero symptomata gravia, maneat tussis per plures dies sicca, jure profecto Medicus exspectat Crisin & hac viâ, nec aliâ, aegri salutem praevidet (75).

Nec tantum ex Morbi Magnitudine patebit an Crisis futura sit nec ne, sed etiam an Crisis futura sit vehemens & cum conflictatione, an potius moderata & sine gravioribus symptomatibus (76): facile enim intelligitur, Crisin eo fore graviorem, quo morbus fuerit major, moderationem contra, quo hic fuerit minor.

A Magnitudine differt Morbi Motus, qui determinatur velocitate, quâ morbus singula stadia percurrat. Possunt morbi, Magnitudine aequales, Velocitate maxime differre, & contra: licet tamen in maximis morbis, nisi Motus Velocitas Magnitudini juncta sit, mors plerumque sequi soleat. Exquisita V. G. Phrenitis, nisi quarto jam die perfectae Coctionis signa exhibeat, lethalis erit, septimum enim non transit. In minoribus autem morbis a Motus Tarditate diuturnitas, sera Coctio, serumque Judicium inducitur. In aliis Imperfectae Crises Velocitatem Motus, Vehementiae non adaequatam, sequuntur. Adsit V. G. die Septimo signum Coctionis. Si Morbi Vehementiae juncta

(72) GAL. *D. C. l.* III. *c.* 4. *p.* 140. F. (73) *l. l. l.* I. *c.* 7. *p.* 128. C. (74) BOERH. *l. l.* §. 887. cf. SWIETENUS ad hunc locum. (75) Conf. *Epid.* III. *Sect* 2. *aeg.* 8. (76) *l. l. l.* III *c.* 4. *p.* 140. A.

juncta ſit Motus Velocitas Perfecta Criſis undecimo die poſſet exſpectari; ſi Vehementia major ſit Velocitate exſpectanda eſſet Criſis Imperfecta illo die; ſi denique ambae & Velocitas & Vehementia minores ſint, illa tamen huic adaequata, Perfecta Criſis non ante decimum quartum diem accidere poſſet: requiritur enim ut Exquiſita Coctio Criſin Perfectam praegreſſa ſit. Nec difficile eſt hujus rei exempla apud HIPPOCRATEM oſtendere. CHAERION, ſaepius jam memoratus, magno laborabat morbo, qui autem tarde ſingula ſua ſtadia percurrebat: antequam Cruditatis Stadium praeterierat, Criſis ſeptimo jam die accidit, ſed ea Imperfecta, idem die decimo ſeptimo poſt febris Recidivam noni diei, & vigeſimo tandem perfecte judicatus eſt.

Intelligitur ex his quanti ſit momenti, non neglectis reliquis, ad morbi Motum attendere, quum ex hoc quoque Criſeos tempus praevidere valeamus, ſimulque probabili conjecturâ determinare, an haec Perfecta vel Imperfecta erit, Bona an Mala.

Morbi Naturâ, Magnitudine & Motus Velocitate nititur igitur diſtinctio Morborum Acutorum (77) in Acutos & Peracutos.

Acutos vocavit HIPPOCRATES, qui quatuordecim (78), Peracutos, qui quatuor diebus judicantur (79); quum autem HIPPOCRATES Acutos quoque vocaverit illos, qui viginti diebus judicantur (80), & alio loco (81) quadraginta dierum Morbos non omnino ex Acutorum Ordine excluserit (82): GALENUS morbos, qui quarto judicantur die Exacte Peracutos, qui ſeptimo Peracutos ſimpliciter, qui decimo quarto Exacte Acutos, qui vigeſimo Acutos ſimpliciter, dixit. Aliud quoque Morborum Genus, quod ad quadrageſimum diem pervenit, Ex Delapsu Acutum vocavit, " quoniam, Acuto quodam imperfecte judicato, intra vigeſimum diem, deinde, vehementiâ ejus confractâ, re-

li-

(77) GAUBIUS, l. l. §. 867. (78) Aph. II. 23. (79) Aph. I. 7. (80) Progn. p. 44.
(81) l. l. p. 38. (82) Conf. GALEN, de D. Decret. l. II. c. 11. p. 155. coll. c. 12. p. 155. II.

liquum ejus intra quadragesimum diem solvi consuevit (83)." Et hinc quoque intelligitur, bene inter se convenire, quae antea diximus; ut Crises fiant, Morbos requiri Magnos: & illud: Crises nonnunquam ab HIPPOCRATE sexagesimo, octogesimo, centesimo vigesimo observatas esse; nam ad tantum dierum numerum Perfecta Judicatio non retardatur, nisi multis interspersis Imperfectis Judiciis, quibus morbus per aliquod tempus opprimitur, qui vero postea iterum Recidivas facit, " quâ ratione omnes particulares Acuti fiunt, postquam vero omnes coiërint, Diuturni (84)."

Restat ut nonnullis tantum punctis notemus, quid valeant Anni Tempora, Regio, Aetas, Sexus, Temperamentum, Diaeta aegri ante morbum & durante morbo, ad morbos, hinc quoque ad Crises accelerandas, retardandas, mutandas, aut denique delendas. Si enim haec pro dignitate tractare vellemus & locus & tempus & vires deficerent.

Singulis Anni Temporibus, si scilicet suo nomini respondeant, nonnulli Morbi Febriles, alios ex instituto mittimus, proprii observantur (85). Hyeme & Vere primo regnant Morbi Inflammatorii; Febris Inflammatoria (86): Pleuritides, Peripneumonia, cet. (87): Aestate Febres Biliosae (88), quae Continuae sunt &, si vigeat Dispositio Inflammatoria, inter Ardentes (89) jure referri possunt. Autumno inchoante multi ex Aestivis morbi (90), qui tunc & acutissimi & perniciosissimi esse solent (91). Fini denique Autumni, initio Hyemis, ut & fini Veris STOLLIUS (92) Pituitosam Febrem tribuit.

Haec autem non ita sunt accipienda ac si morbi isti non in alio Anni Tempore regnare solerent, quam in illo, cui pertinent: observantur enim omnis generis morbi omni tempore (93). Epidemice vero regnant singuli suo tempore, inducti

a

(83) GAL. *de D. D. l.* II. *c.* 12. *p.* 155. F. (84) GAL. *l. l. c.* 5. *p.* 153. H. (85) *Aph.* III. 19. STOLL, *l. l.* §. 36. (86) STOLL, *l. l.* §. 39. (87) *Aph.* III. 23. (88) STOLL, *l. l.* (89) *Aph.* III. 21. (90) *Aph.* III. 22. cf. STOLL, *l. l.* (91) *Aph.* III. 9. (92) *l. l.* (93) *Aph.* III. 19.

a solitis tempestatis unoquoque anno mutationibus, quae mutationes, si solito modo non accidant, neque sequuntur soliti morbi; quae si accidant alio anni tempore, illi quoque tunc inducuntur morbi, qui, si anni tempora suo nomini respondissent, alio anni tempore regnassent (94).

Porro, si unumquodque Anni Tempus modum non excedit, si sint constantia, & tempestive tempestiva reddant, morbi sunt constantes, neque modum excedunt, neque sunt periculosi (95), si vero magnae & repentinae fiant mutationes, eo inconstantiores & graviores erunt morbi, quo majores fuerint mutationes tempestatum sibi invicem oppositarum (96).

Quae omnia si sedulo observentur & considerentur, Medico patere poterit, quinam Morbi sint secuturi, an Magni Acutique & regulariter decurrentes, vel parvi & diuturni, an faciles an difficiles judicatu: nec opus est post ea, quae jam supra diximus, exponere, quanta inde in Prognosin & Curationem utilitas (97) redundet, quae quidem & eo maxime augetur, quod Decursus Morborum Epidemicorum in diversis individuis sibi maxime plerumque sit similis, tam eorum, qui regulariter statutis diebus per Crisin terminantur, quam eorum, qui absque Ordine & Crisi Stadia sua percurrunt: in his enim in omnibus confusio, in illis ordo lex universalis observatur. Probant hoc Historiae Constitutionum Epidemicarum ab HIPPOCRATE observatarum. Probat hoc testimonium GALENI dicentis: „ In tota Aestate interim plures quam quadringentos homines, acute aegrotantes, universos vel septimo, vel nono die Crisin habuisse conspexi: in alio rursus anno quosdam decimo quarto, quosdam vigesimo, plurimos post morbi Reversionem: in alio permultos sanguinis fluorem quinto habuisse, perfecte septimo vel nono die judicatos esse. Vidi etiam in Autumno aliquando omnes undecimo judicatos: sed hic quidem Autumnus Bonam-Crisin attulit: in alio autem omnibus sexto die Malunm Judicium accidit (98). ".

Aetas Virilis, in quo Animi & Corporis maximus vigor, non multis, sed maxi-

(94) *Aph.* III. 1 & 4. (95) *Aph.* III. 8. (96) HIPP, *de Aër, Aq. & Loc.* ap. FOËSIUM, p. 286. in fine seqq. (97) *l. l. p.* 180. seq. (98) *De D. D. l.* II. c. 7. p. 154. D.

maximis & acutissimis, obnoxia est morbis; Febres Ardentes, Pleuritides, Peripneumoniae, Phrenitides (99), eaeque exquisitae, in illâ quam maxime observantur. Hanc proxime sequitur Aetas Juvenilis (100), maxime ab illâ distat Senilis Puerilisque Aetas, in quibus rari sunt morbi acuti iique magni (1).

Manifestae igitur Crises potissimum in illis aetatibus observabuntur, rarius in his. Incidunt tamen nonnumquam acuti magnique morbi in Aetate Senili & Puerili, tum vero gravius illis periclitantur, quoniam Naturae, Aetati & Habitui minus similes sunt morbi (2). In Aetate scilicet Virili & Juvenili naturalis in morbos magnos & acutos propensio facit, ut a leviori caussâ tales inducantur: in Aetate vero Senili & Puerili, ut graviores egerint caussae, antequam morbus talis erumpat, necesse est: hinc igitur si morbi, acutie & magnitudine aequales, in Virum & Senem, aut Puerum, inciderint, minor omnino in illo erit a statu sanitatis aberratio quam in his.

Nec mirum, multum quoque inter se differre Morborum Exitus in diversâ aetate: Hepatitidem non raro haemorrhagiâ solvi, docet HIPPOCRATES, addit autem, illam magis in Junioribus, annum trigesimum quintum nondum attingentibus exspectandam, in Senioribus contra suppurationis metum esse (3). Diversum similiter Otitidis exitum in diversâ aetate memorat (4), a quâ Juniores ante suppurationem, Seniores post suppurationem, morbo saepius revertente, intereunt. Alio quoque loco in Junioribus abcessus, in Senioribus quartanas, longarum febrium esse sequelas, perhibet (5).

Sed & differt in diversâ aetate Symptomatum Ratio: Convulsiones & Deliria in Pueris minus erunt timenda (6), quam in Adultis: in his urinae nigrae, in illis Aquosae, deterrimae (7). Aliae plures dantur hoc respectu differentiae; enumeratae vero sufficiant, ut pateat, quanta Aetatis Ratio haberi oporteat, ut morbi cognoscantur & futura praevideantur.

Sexus.

(99) *Aph.* III. 30. (100) *Aph.* III. 29. (1) *Aph.* III. 24—28. 31. I. 14. (2) *Aph.* II. 34. (3) *Progn.* p. 38. (4) *Progn.* p. 44. (5) *l. l.* p. 45. (6) *Aph.* III. 25. cf. II. 34. (7) *Progn.* p. 40.

Sexus quoque minime est negligendus. Delicatum, molle, mobile & succo plenum, Feminae est Corpus a virili robore alienum, raro gravioribus exercitationibus & tempestatum injuriis duratum, maxime simile corpori Juniorum, magis tamen quam illud humoribus serosis abundans. (8). Praeterea, uteri latum in Corpore Feminino imperium saepius morbos diversimode modificat, eorum exitus mutat, nonnunquam fatalem reddit (9).

Juvat vel infringit Vim aetatis sexusque hominum Temperamentum & Diaeta.

Temperamentum Biliosum, huic juncta Victus Eupeptus & Euchymus, validaque exercitia, virilis aetatis vigorem ad summum, quod sanitatis limites capere possunt, evehunt fastigium & magnorum peracutorumque morborum, aptâ quâcunque occasione, capacem reddunt. Quantone plures contra sunt, qui desidiâ & luxurie fracti, torpore lentisque humoribus obruti, a Feminis robore eâque, quae Virum decet, animi constantiâ & ardore longe superantur?

Sexus Feminini mollities, grata omnino & jucunda, Phlegmatico Temperamento, Vitâ Sedentariâ, Tepidae Abusu, non raro in odiosam laxitatem degenerat, &, quae alioquin & Animi & Corporis actiones animat, egregia illa mobilitas universali omnium torpori locum cedit. Temperamentum contra Siccum & Calidum, validior exercitatio reddunt Femininum Corpus virili similius, imo Viragines creant.

Temperamentum quoque per se ad morbos disponit (10). Morbi a nimiâ aëris humiditate potissimum tangunt Phlegmaticos (11): a nimiâ siccitate Biliosos: ab aëris calore & tempestatum inconstantiâ Melancholicos (12).

Si igitur haec omnia, quae ad Aetatem, Sexum, Temperamentum, Diaetam, Tem-

(8) Vid. RICHERAND, *Physiologie* 3e. *ed.* t. II. *p.* 342. seqq. BOERHAAVE, *Instit. Med.* §. 659.

(9) *Aph.* V. 55. 30. (10) *Aph.* III. 2. (11) *Aph.* III. 11 & 14. (12) *Aph.* III. 22. coll. 4. Conferatur cum dictis Graphica & brevissima temperamentorum descriptio, quam nobis reliquit BOERHAAVIUS, *Instit. Med.* §. 888—897. & elegans temperamentorum delineatio, apud RICHERANDUM, *l. l. p.* 443.

Tempestatemque pertinent conferamus; si recordemur mutationes tempestatum Epidemicos Morbos, eosque pro mutationum differentiâ diversos, producere: diversos homines propter aetatem, sexum, temperamentum, victus rationem, prae aliis dispositos esse, & minus periclitari & citius judicari: nullum superit dubium, quin haec multum afferant ad Naturam, Magnitudinem & Motum morborum rite cognoscendum, adeoque ad Crisin praecognoscendam Optimamque dignoscendam.

Sensibilium aëris qualitatum earumque vicissitudinum effectus in morbis producendis magnos diversosque esse, supra verbo vidimus: & hi effectus, licet tamen Aquae, Hominum Cultura, Religio, Exercitia, Victus Ratio, aliaque, quae in morbis producendis aliquid conferunt, minime negligi debeant, primariae sunt caussae, propter quas unaquaeque Regio suos proferat morbos, ab iis aliarum Regionum diversos. Differt enim in omnibus Regionibus Situs & Terra; haec montibus ab omni parte cingitur, illa mari; haec frigidis exposita est ventis, illa calidis; haec solum habet nudum, illa sylvis scatens; haec altum & siccum, illa cavum & paludosum: his aliisque caussis (13) differunt Aquae (14), differunt Aëris Qualitates & Vicissitudines; differunt hinc iterum Homines & Mores (15), differunt hinc Morbi. Regio calidis ventis exposita, frigidis non patens, si humida tempestas accedat, morbos diuturnos ulceraque exedentia producit: Viri tali in regione pituitâ abundant, Feminae laxitate, fluore albo, crebris abortibus laborant, &, nisi vi insuetarum aëris mutationum inducantur, rari sunt morbi acuti inflammatorii (16). Contrarium in Regionibus, quae frigidis siccisque ventis expositae sunt, obtinet; stricta ibi corpora ad morbos magnos, acutos & inflammatorios sunt disposita & saepius illis corripiuntur (17). Temperata vero Regio, nec calore nec frigore excedens, paucos parit morbos, eosque Calidarum Regionum morbis similes (18).

Quan-

(13) HIPP. *de Aëre Aq. & Locis*, p. 280. seq. (14) *l. l. p.* 281, 282. aliisque locis.
(15) *l. l. p.* 288. seqq. (16) *l. l. p.* 281. (17) *l. l. p.* 282. (18) *l. l.* 282. seq.

Quandoquidem igitur his constat, morborum Acumen differre pro Regione, similiter apparet, Crisium Frequentiam & earundem, si occurrant, in morbis Tempus in diversis Regionibus differre debere: quis enim in Regione, qualem prius memoravimus, plures Crises exspectaret: quis non plurimas in Regione Frigidâ & Siccâ?

Ex his tandem intelligitur quanti momenti sit HIPPOCRATIS monitum: Medico, antequam Praxin exerceat, diligenter inquirendum esse; qualis sit Regionis Situs & Natura (19). Ad quae omnia diversis in locis maximâ diligentiâ & sedulitate cum attenderit ipse DIVUS SENEX, scripta continent praeclara maxime praecepta, per omne aevum, omnemque terrarum orbem, & vera & utilia (20): continent praecepta, quidem generalia, sed simul accurate adeo limitibus circumscripta, ut nullus omnino relinquatur errori locus: fontem denique exhibent nondum exhaustum, numquam forte exhauriendum.

Magna interdum oritur Prognoseos difficultas ab Erroribus, durante morbo, commissis, nec illos notare omisit HIPPOCRATES. Supra jam, ubi de Recidivis egimus, hoc ipsius verbis ostendimus; imo PHILONIS Filiam ob intempestivam coenam mortem obiisse, memorat (21). GALENUS quoque errorum, qui circa aegrotantem fiunt, noxios effectus fuse pertractavit (22).

Errores illi committuntur, vel a Medico, vel ab Aegro, vel ab Adsidentibus, vel denique talia accidunt, quae, licet in potestate hominum non sint positae, nihilominus tamen morbi decursum perturbare valent.

Sanitatis Redintegratio summus est Artis Medicae scopus, quem, ut certius feriat futura praenoscere molitur, nisi enim Prognosis ad curam applicemus vana omnino est opera, &, si absque Prognosi omnes servare possemus, certe multe praestantius esset, quam, cognitis futuris, non omnes ab interitu liberare. Ipso illud ait ille HIPPOCRATES (23), qui Curam neglexisse & Speculatorem tantum egisse a multis perhibetur, eo argumento seductis, quod curam in *Epidemiis* co-

(19) *l. l. p.* 280. (20) Cf. *Progn. p.* 46. in fine. (21) *Epid.* I. *Stat.* 3. *p.* 955.
(22) *De D. D. l.* I. *c.* 11. *p.* 149. E. (23) In init. *Prognostici*, *p.* 36.

eorum historiis, excepto Glande, Clysmate in paucis, Venae Sectione in uno, non notarit: quod levidense argumentum, si aliqua vis illi esset, ex aliis tamen scriptis convelleretur.

Maxime in illud incumbebat HIPPOCRATES eumque secutus GALENUS, ut justum agendi tempus eligeret, & ne morbi perfecti Decursum, Naturae legibus statutum, turbaret. Recenset GALENUS Medicos sui temporis, semper aliquid factitantes, toties peccantes, quoties ad aegrum accederent (24). Tantamque habet illorum errorum vim, ut, nisi ipse Curam instituerat, Prognosi non fideret.

Ut firma igitur sit Prognosis requiritur, ut rite instituatur Cura, maxime tamen caveatur a debili: melius est plenius nutrire aegrum, quam tenuem exquisitumque Victum illi praescribere (25); ne formidanda quidem, si aeger sufficiat morbusque requirat, Venae Sectio ad Animi Deliquium usque (26); nec Meri usus fugiendus (27); nec cunctandum si Purgationem instituere oportet (28); sed, ubi morbus summum attigerit Vigorem, quiesce (29).

Requiritur quoque ut Aeger & Adsidentes Medico obtemperent, ne hi delictis Aegri iram excitent, vel tristibus nuntiis eum affligant, cet:. Requiritur ne gravia infortunia accidant Aegrumque commoveant.

Haec omnia si pulchre eveniant, firma potest esse Prognosis, errores vero illam diverso modo turbant. Si enim graviores fuerint benignum morbum protrahunt, periculosum subito lethalem reddunt, lethalis morbi funestum exitum accelerant (30).

Pauca de Malo Morborum Exitu addamus & colligamus summa puncta, quibus praesagire valemus, Morbos Crisinque malum habituros esse exitum. GALENI consilium secuti: " exercitandum prius esse in Optimorum Crisium prae-

co-

(24) *De D. D. l.* I. *c* II. *p.* 149. H. (25) *Aph.* I. 4 & 5. (26) *Aph.* I. 23. (27) *De Ratione Vict. in Morb. Acut. p* 392. (28) *Aph.* IV. 10. (29) *Aph.* II. 29. (30) Fuse haec omnia exponit & exemplis illustrat GALENUS *l. l.* Mala, oriunda ab errore in Diaeta, enumerat nonnulla HIPP. *de R. V. in M. A. p.* 390.

cognitione, quae maximam habet firmitudinem, deinde ad Malas esse descendendum, quarum minus firma est Prognosis, quum determinati sint ac ordinati Naturae motus, cum valida fuerit, indeterminati vero, inordinati, atque ideo incogniti quando succumbit": hanc tractationem huc retulimus.

Mortem nonnumquam proxime praecedunt Criticae Perturbationes & Evacuationes, & illud quidem Mala Crisis Perfecta dicitur (31). Exempla hujus notavit HIPPOCRATES in quadam Constitutione Epidemicâ (32), ubi ex Febre Ardente pessimâ plurimi sexto die cum sudore periisse memorantur. Malam talem Crisin fuse descripsit in Historiâ Conjugis DROMEADAE (33). „Sexto die, inquit, mane novus subortus est rigor celeriterque incaluit, sudor toto corpore dimanavit, extrema frigescebant, deliravit, spiratio magna & rara fuit. Paulo post convulsionibus a capite obortis celeriter defuncta est." Ex eâdem illâ aegrâ luculenter patet, quid per Malam Crisin sed Imperfectam sit intelligendum, ea scilicet, quae licet non statim in mortem, tamen in deterius vergit, qualis accidit die tertio, Phrenitidem inducens. Crisis vero nomen, mente GALENO (34), non quadrat in subitam morbi mutationem in pejus, aut mortem, quae fit absque perturbatione aut evacuatione, quam quarto loco inter Modos Moriendi retulit; nam, ut supra monuimus, tertium moriendi genus, quo paulatim aegrotantis vires exsolvuntur, Marasmum vocat. Recte quidem, ni fallor, talem mutationem a Crisis appellatione excipit: quis enim aegrum, propter cerebri gangraenam in Phrenitide, aut impeditam respirationem in Peripneumoniâ aut Anginâ, subito extinctum, Malâ Crisi obiisse dixisset. Sed videamus, relictâ de Verbis disputatione, quâ ratione Crises, quas Malas diximus, praecognosci possint.

Coctionis Signa semper & ubique salutem ostendunt, Cruditatis Signa, si alia salutaria iis accedant, morbi Diuturnitatem &, morbi accedente magnitu- di-

(31) GAL. *de Crif. l.* III. *c.* 7. *p.* 141. G. (32) *Epid.* I. *p.* 954. (33) *Epid.* I. *aeg.* 11.
(34) *De Crif. l.* III. *c.* 7. *p.* 141. G.

H

dine, Imperfectas Crises portendunt, per se tamen perniciem non praesagiunt.

Aliud est Signorum Genus praeter signa Cruditatis, ex quo aegri perniciem cognoscit Medicus, & haec quoque, incomparabili brevitate & concinnitate conscripta, nobis reliquit HIPPOCRATES in *Prognostico* praesertim, praeterea quoque in *Aphorismis* & aliis libris. Omnia, quae in aegris observantur talia Prognostica exhibere valent. Aegrotantis Facies, Jacendi Habitus, Motus, Actiones, Vox, Somnus, Somnia, Sensuum Organa, Convulsiones, Dolores, Corporis Calor, Color & Pondus, Perspiratio, Respiratio, Lingua, Digestio, Excretorum Qualitas (Urina enim potest esse vel simpliciter Cruda vel etiam simul Lethalis) Borborygmi, Flatus, Sanguinis Fluxus, Vomitus, Exanthemata, Abcessus, Signorum Permutationes, denique omnia, quae de aegroto intra sensus cadunt huc referri possunt. Haec signa si rite observentur, si invicem conferantur, gradum periculi determinare poterit Medicus. Si porro ad Naturam & Magnitudinem morbi attendat, aliaque, quae ad has exquisite cognoscendas aliquid conferre valent, non negligat; denique Diebus Criticis rite ad Prognosin instituendam utatur, is profecto non imparatus erit ad praecognoscendum & dignoscendum Crisin Malam Imperfectam, imo ad praesagiendum mortis diem, nam ex supra dictis satis jam patuit, Dies Criticos non tantum salutem sed & mortem, sequentibus futuram, indicare.

Maxima igitur est inter Bonam & Malam Crisin differentia; hanc praeter Cruditatis Signa, Lethalia vel Periculosa semper praecedunt, illam Coctionem & Salutem Ostendentia praesagire faciunt, illa denique morbi augmentum vel aegri interitum, haec salutem vel sanitatem sequelas habet.

Quamne vana igitur est in Doctrinam Criseos Calumnia, morbos Optimâ cum Crisi, nonnunquam in mortem terminari, & nil interdum magis prodesse, quam Criticas Evacuationes arte supprimere: & nihilominus praeter alia, a Theoriâ desumta, hoc argumento Crisium Doctrinam labefactare conatus est Professor Bambergensis RÖSCHLAUBIUS (35). Accidunt re verâ casus, licet rarissimi sint,

(35) *Pathogenie t.* I, §. 196—233. §. 602. praesertim §. 603.

sint, in quibus Bona Crisis absque praegressis Signis Coctionis obtinet: quales historiae numero quatuor in *Epidemicorum* libris supersunt (36). Nec ignoravit HIPPOCRATES, nonnullos, licet raros, esse morbos acutos, in quibus praedictiones tum mortis, tum sanitatis, firmitate, quam alioquin habent, carent (37): ut in Morbis Pestilentialibus locum habet: sed nihilominus casum, in quo post Exquisitam Coctionem, tam Universalem, quam Topicam, post signa reliqua salutaria, Crisis secuta est Infausta, nec HIPPOCRATES, nec GALENUS, nec, quantum audivi, quisquam memoravit (38): & cui, absentibus signis coctionis, praesentibus contra iis, quae HIPPOCRATES Lethalia dixit, Bonam Crisin aut Solutionem praedicere placeret, millies profecto falleretur; ne semel forte per vitae spatium, bonam Prognosin institueret.

Ne tamen quis credat, Prognosin futurae salutis aut perniciei rem esse facilem: oportet enim Medicum, qui hanc rite in omni casu instituere velit, omnem Signorum Doctrinam intelligentiâ comprehensam habere, singulorum vires cognoscere, & ubique Ratione expendere posse, an salutarium faustumque eventum indicantium, an malorum potentia praevaleat (39): quod, si plura bona conspirent in morbo, licet magno, minorem quidem habet difficultatem, sed observantur casus morborum, in quibus tot sibi invicem opposita signa concurrunt, ut maxime in Prognosi exercitatum Medicum, immo HIPPOCRATEM ipsum, nodum solventem, requirant. Minime tamen desperare oportet, sed, quo res est gravior, eo magis se exercere, nec animo cadere, vel exercitium intermittere, si una alterave Prognosis fefellerit: "quandoquidem enim sagittandi artem, minimam existentem, adeo ut etiam a mancipiis commode pertractetur, nemo statim incipiens assequi integre possit, quid de arte Asclepiadum existimare oportet, quae tam multâ indiget contemplatione & tam exquisitâ & laboriosâ in operibus exercitatione (40)?"

A D-

(36) *Epid. lib.* I. *aeg.* 13. *Epid.* III. *Sect.* 2. *aeg.* 7. 11 & 12. (37) *Aph.* II. 19. cf. SPRENGEL, *Apologie des* H. ad hunc locum *t.* I. *p.* 193. HOLLERIUS ad hunc locum. *p.* 70. (38) Desideramus casum, cui nititur fides enuntiati a RÖSCHLAUBIO, §. 603.

(39) *Prognost. p.* 46. (40) GAL. *de Cris. l.* II. *c.* 2. *p.* 144. A.

ADNEXA.

I.

Regio noſtra generatim depreſſa eſt & paludoſa, pro magna parte mari cincta, fluviorum copiâ inſignis, omnibusque expoſita ventis.

II.

Humidum & Frigidum, Humidum & Calidum, Siccum & Calidum, Siccum & Frigidum, diverſâ ratione, praevalente plerumque Humido, non raro satis ſubito & ſine ordine alternantia, conſtans eſt noſtrâ in Regione aëris Conſtitutio.

III.

Ad Phlegmaticum quam proxime Noſtratium generatim accedit Temperamentum, ſed cum Corporis robore Animique conſtantiâ & vigore junctum, & in limine quaſi praedispoſitionis ad Endemios & Acutos morbos poſitum.

IV.

Non negligenda tamen magna Noſtrae Terrae differentia, quâ alii ad Acutos, alii ad Endemios morbos magis praedisponuntur.

V.

Solidorum laxitas & impedita perſpiratio Endemiorum morborum generales ſunt cauſ-

caussae. Victus vero Ratio omnium maxime in illis avertendis aut excitandis valet.

VI.

Nec raro Hyems vel Aestas, suo nomini respondentes, auxiliante Ratione victus, magnos adfert Acutos Epidemicos, Endemiosque morbos fugat.

VII.

Chronici Morbi, Febres Intermittentes & Morbi Diuturni Febriles frequentes, rariores Acuti & Magni, Peracuti rarissime occurrunt.

VIII.

Lentae hinc morborum Solutiones frequentes sunt, rariores manifestae Crises, rarissima Judicia gravibus perturbationibus comitata.

IX.

Morbus Acutus Inflammatorius, purus, recens, tempestivâ curatione potest infringi, impuri vero vel jam efformati decursus non fine noxiis turbatur.

X.

In his posterioribus prudenter vires moderari molestaque symptomata palliare est curationis summa.

XI.

Putridae Nervosaeque Febres, licet vires rite sustineantur & excitentur, eoque mors ipsa avertatur, certas tamen statutasque habent periodos, in quibus manifesta observatur Symptomatum & Excretionum Mutatio, imo non raro Crises.

XII.

XII.

Omnem igitur curationem, rite inſtitutam, in Morbis Acutis efformatis Coctionem & Criſin non avertere & turbare, ſed, quod avertat quae turbarent, promovere ſtatuo.

XIII.

Noſtra igitur Regio noſtraque Corpora minus favent Criſibus; curatio, rite inſtituta, easdem promovet; mala turbat & periculoſas illas reddit.

XIV.

Manet igitur in noſtrâ quoque Regione noſtrisque temporibus univerſae Doctrinae Hippocraticae uſus.

TANTUM.